4137 6 / 13 / 1

E xv a 18

26-431-3

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30525895_0001

57542

n. 78.

ANDREAE PIQUERII

ARCHIATRI

MEDICINA VETUS, ET NOVA

Postremis curis retractata, & aucta

AD USUM SCHOLAE VALENTINAE.

EDITIO QUARTA.

CUM PRIVILEGIO.

MATRITI. Apud Joachimum Ibarram Typographum. Anno reparatae salutis CDↃ.DↃCC.LXVIII.

año 1768.

Medici, fama quidem ac nomine multi, re autem ac opere perpauci. Oportet enim, quicumque Medicinae scientiam copulam sibi verè comparare volet, horum eum compotem fieri, naturae, doctrinae, loci studiis apti, institutionis à puero, amici laboris, ac temporis. Enim vero primum omnium Natura opus est. Natura namque repugnante, irrita sunt omnia.

Hipp. Lex. num. 1. Charter. tom. 2. p. 145.

Certissima omnium erit judicatrix sola experientia, quam qui relinquunt, atque aliundè ratiocinantur, non solum falluntur, sed etiam tractationis utilitatem subvertunt.

Galen. de Simpl. Medic. facultat. lib. 1. cap. 40. Charter. tom. 13. pag. 29.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

INDEX
TRACTATUUM, ET CAPITUM.

TRACTATUS I. DE URINIS.

CAPUT I. Quid, & quotuplex ſit Urina, pag. 1.
CAPUT II. De coloribus Urinarum, pag. 7.
CAPUT III. De Sedimento Urinarum, pag. 12.
CAPUT IV. Hippocratica doctrina de Urinis expenditur, & explicatur, pag. 16.

TRACTATUS II. DE PULSIBUS.

CAPUT I. De Eſſentia pulſus, pag. 23.
CAPUT II. De Differentiis pulſuum, pag. 26.
CAPUT III. Doctrina Galeni de Pulſibus expenditur, & explicatur, pag. 28.

PHARMACIA GALENICO-CHIMICA.

CAPUT I. De Methodo medendi, pag. 36.
CAPUT II. De Indicationibus, pag. 38.
CAPUT III. De Remediorum viribus, & ſcopis, pag. 42.
CAPUT IV. De Alterantibus medicamentis, pag. 45.
CAPUT V. De Cephalicis, pag. 50.
CAPUT VI. De Expectorantibus, pag. 54.
CAPUT VII. De Stomachicis, pag. 60.
CAPUT VIII. De Hepaticis, & ſplenicis, pag. 62.
CAPUT IX. De Hyſtericis, & nephriticis, pag. 65.
CAPUT X. De Medicamentis purgantibus, pag. 71.
CAPUT XI. De Emeticis, pag. 84.
CAPUT XII. De Diureticis, pag. 90.
CAPUT XIII. De Sudoriferis, & diaphoreticis, pag. 93.
CAPUT XIV. De Clyſteribus, pag. 96.
CAPUT XV. De Anodinis, & veſicantibus, pag. 101.
CAPUT XVI. De Venae ſectione, pag. 106.

TRAC-

TRACTATUS IV. DE FEBRIBUS.

CAPUT I. Quid ſit febris, exponitur, pag. 116.
CAPUT II. De differentiis febrium, pag. 118.
CAPUT III. De Febre meſſenterica, pag. 120.
CAPUT IV. De Febribus intermittentibus, pag. 127.
CAPUT V. De Febribus ardentibus, pag. 140.
CAPUT VI. De Febre ſynocho, pag. 147.
CAPUT VII. De Febre maligna, pag. 149.
CAPUT VIII. De Febre ſemitertiana, pag. 156.
CAPUT IX. De Variolis, pag. 157.
CAPUT X. De Febre hectica, pag. 164.
CAPUT XI. De Febre diaria, pag. 169.

Monita practica ex Medicina Vetere & Nova deducta, & in formam aphoriſmorum diſpoſita.

ERRATA.

PAG. 10. lin. 12. Mucagine, lege *Muccedine*. Pag. 36. lin. 7. Autor, lege *Auctor*. Pag. 39. lin. 27. infrigidare, lege *refrigerare*. Pag. 59. lin. 6. Quoercotani, lege *Quercetani*.

Alia levioris momenti ſphalmata, quae forte irrepſerunt, lector corriget.

DE

DE MEDICINAE STUDIO recte instituendo.

PRAEFATIO.

MEdicinam esse mundo coaevam, certissimum est; nam cum homines ob primi Parentis lapsum morbis afflictari coeperint, & Deus Optimus Maximus pro summa, qua pollet beneficentia, his damnis remedia apposuerit, nemini dubium esse potest, quin antiquissimi homines mundo coaevi pro suis aegritudinibus tollendis ea sumerent medicamina, quae, experientia duce, sibi esse consentanea judicarent. Quae autem fuerint fata Medicinae ab antiquissimis his temporibus usque ad Magnum Hippocratem, sub densissimis tenebris latet, nam graeca gens, fabularum feracissima, ea omnia sub figmentis Apollinis, AEsculapii, aliorumque similium involvere voluit. Qui tamen fuerint usus in Medicina exercenda, qui ritus, quae leges sub iis temporibus, quae communiter heroica nominantur, colligere licet ex Herodoto, Homero, Sanchoniatone, aliisque vetustissimis Scriptoribus, quos si videre non lubet, saltim Danielem Clericum, Auctorem longe celeberrimum, aequum erit consulere; aut si quae ad Medicinam spectant, ex Sacris Scripturis, purissimae veritatis fontibus, magis arrideat deducere, utile erit Calmetum, ea opportunè tractantem, inspicere, aut ex Vallesii nostri Philosophia Sacra, ea quae ad hanc rem faciunt, prono ore libare. Nam licet id ad Medicinam faciendam parum conducere videatur, tamen ad decus artis, & Medici honorem, & dignitatem conferre, nemo negaverit. Hinc differtissimus Verulamius aptissimè scribit, Historiam Litterariam adeo necessariam esse: *Ut si ea deficiat, mundi hi-*

ſtoria ſimilis ſit ſtatuae Poliphemi, eruto oculo, cum ea pars imaginis deſit, quae ingenium, & indolem perſonae maximè referat. (*a*) Si igitur homini, rerum non ignaro, prodeſt, hiſtoriam ſuae gentis ex antiquitate eruere, quid ni ortum, progreſſus, mutationes, & eventa ſcientiae, cui quiſque ſe dicaverit, cognoſcere non oporteat?

Sub magno Hippocrate, qui floruit Olympiade octuageſima, 460. annis ante Chriſtum natum, medicina maxima coepit incrementa, nam iis temporibus, referente Galeno, tres ſcholae Medicae erant longè celeberrimae, ſcilicèt, in Inſula Coo, in Rhodo, & in Cnido. Vir iſte ſummus, ea omnia colligens, quae in his Scholis publice legebantur, eiſque addens, quae, proprio marte experiundo, adquiſierat, tunc demum abſolutiſsimum medicinae opus conflavit, quod nunc ſub ſolo Hippocratis nomine communitèr circumfertur. Hinc apparet, opera, quae ſub Hippocratis nomine vulgo leguntur, non omnia eſſe ab hoc ſapientiſsimo ſene compoſita, ſed partim ab ipſo, partim ab ejus diſcipulis, aut filiis, partim denique ex his, quae ex ſupradictis Scholis aſſumpſerat, eſſe conſarcinata. Attamen indubitatum prorſus eſt, libros Aphoriſmorum, Prognoſticorum, & Epidemiorum primum & tertium eſſe ab ipſo Hippocrate compoſitos; ut attento ſtilo, brevitate, methodo, ordine, & ſoliditate doctrinae, facile appareat, hos omnes ab uno eodemque Auctore manaſſe. Inter caeteros vero libros, qui Hippocrati tribuuntur, quinam ab ipſo vere ſint compoſiti, necne? Viri doctiſsimi certant, & adhuc ſub judice lis eſt. Quiſque tamen hanc rem optimè tractatam inveniet apud Erotianum, Galenum, Mercurialem, Lemoſium, & Clericum. Noſque etiam, in Praefatione ad Hippo-

(*a*) Verulam. *de Augm. ſcient. lib. 2. cap. 2. cap. 4. pag. 49.*

pocratis Prognoſtica, abunde diſcuſsimus. Ex Hippocratis aetate uſque ad Galenum, quo ſpatio fluxerunt circiter quingenti anni, Medicina floruit Hippocratica, nam celebriores Medici, paucis exceptis, illius viri ſententiam ſunt amplexi. Poſt Galenum, florere coepit Medicina ab eo inſtituta, ac licet Medici inter Graecos eſſent clariſsimi, ferè omnes tamen in Galeni placita deſcenderunt. Dum vero ſaeculo Eccleſiae quinto, infelici omine contigit, tum ut barbarae Nationes totam inundarent Europam, tum ut Arabes Imperium ſuum ſtatuerent in variis Orbis terrae Regionibus, inde factum, ut Medicina in maximum venerit decrementum. Erat tunc temporis in Alexandria Schola medica toto Orbe celebratiſsima, quemadmodum ex Ammiano Marcelino colligere licet; eamque Imperatores Mahometani funditus everterunt, ut ex Albufaragio conſtat. Neceſſe igitur fuit, ut, extincta Graecorum Medicina, inter Arabes tantum haec ſcientia ſedem ſuam figeret. Ac licèt dubitari nequeat, quin celebratiſsimos Auctores inter Arabes inveniamus, tamen ea fuit illius gentis conditio, ut quae Graeci per obſervationes rectè ſtatutas fundaverant, philoſophicis commentis, ſophiſticiſque ratiociniis conſpurcaverint. Et quod majoris eſt momenti, ſequentibus ſaeculis maximos habuit ſectatores, qui nihil aliud in votis habuerunt, niſi ut ea quae ſtatuerent, Arabum auctoritate firmarent. Ita per plura tempora jacuit Medicina Graecorum, donec incipiente ſaeculo decimo ſexto, Medici Galli praeſertim, & Itali, quos poſtmodum ſequuti ſunt Hiſpani, eam poſtliminio revocarunt. Sic Ballonius, Duretus, Alpinus, Lomius, Valleſius, Eſteve Valentinus, Arabum jugo excuſſo, Hippocratis Medicinam iterum reſtituerunt. Fatendum tamen eſt, per haec tempora, Paracelſi, aliorumque Chimicorum impoſturas, Graecae Medicinae progreſ-

ſus maximè retardaſſe, nam ea gens, Turcarum more, ut ſuum ſtatueret in Medicina Imperium, Graecos omnes intrepidè trucidavit. Ventum tandem eſt ad feliciſsima noſtra ſaecula, quibus viri, omni ex parte clariſsimi, Medicam artem omni ope, & conſilio ad priſtinum ſplendorem reſtituere conantur.

Sicut hiſtoria Civilis nedum facta jejune referre debet, ſed etiam conſilia, quibus homines ad ea facienda excitabantur, eodem modo hiſtoria litteraria expoſtulat, ut non ſolum inſignes, quas aliqua ſcientia, curſu temporum, ſubierit mutationes, enarrentur, ſed ea etiam doctrinae pars proponatur, quæ cuilibet tempori congrueret. Eam ergo opinandi rationem, quam plures amplectuntur, ſectam appellare latini Auctores ſolent. Tres in antiquitate ſectas celebres in Medicina floruiſſe ex Celſo, & Galeno didicimus, nempe Empyricam, Methodicam, & Dogmaticam. Empyricae ſectae addicti, ad omnia, quae in Medicina faciebant, experientia unicè dirigebantur, neque philoſophiae, neque anatomiae curioſae, neque cauſarum nimis diligenti inveſtigationi ſtudentes. Methodici ſatis diligentes erant in hiſtoriis morborum conſignandis, nihil tamen niſi ſtrictum, & laxum pro cauſa eorum admittebant, unde in curatione, in nihil aliud intendebant animum, niſi ut laxarent quod erat ſtrictum, & ſtringerent quod erat laxum. Dogmatici ſeu rationales dicti ſunt illi, qui experientiam cum ratione conjungentes, nedum obſervationes in Medicina facienda, ſed & cauſarum inveſtigationem omni ope inquirebant. Medicina dogmatica varia etiam accepit nomina, juxta diverſos ejuſdem ſectatores, aut diverſas opinandi rationes, in diverſis temporibus, unde alia Galenica, alia Arabica, alia Chimica, alia Pneumatica, alia demum Mechanica appellari conſuevit.

Ex-

Experientiam esse praecipuum in Medicina fundamentum, nemo sanae mentis negaverit. Artem experientia fecit, exemplo monstrante viam, inquit Manilius de Astronomia loquens, & quidem rectè, nam per ea quae sensibus sunt obvia, in aliarum rerum, sensus eodem modo afficientium, cognitionem, nedum in Medicina, sed in omnibus scientiis naturalibus, homines venerunt. Cum vero experientia minime viro sapienti digna sit, si cum ratione non conjungatur, consequens est, ut utramque viam rationis scilicet, & experientiae in Medicina facienda tenendam esse, omnes consentiant. Cum tamen ad experientiam rationalem adipiscendam plurima requirantur, quae Tyrones animadvertere debent, operae pretium duximus, pro faciliori eorum institutione, ea nunc breviter atque dilucide enucleare.

Ante omnia distinguere oportet experientiam ab experimento, nam hoc est opus naturae, seu ejusdem effectus sensibus perceptibilis, illa vero est cognitio rationalis ex experimentorum sufficienti numero adunata. Cum vero effectus naturales, nostris sensibus obvii, sedulo attenteque inspici & notari debeant, & haec inspectio *observatio* soleat appellari, hinc apparet experimenta nobis non aliter innotescere, quam per sedulò attenteque factas observationes. Cum igitur unum, aut alterum experimentum, ad stabiliendam rationalem cognitionem, quam *experientiam* nominavimus, non sufficiat, consequens est, ut plures, & rectè statutae observationes ad experientiam consequendam requirantur. Operae pretium ergo est, ut elaboremus quam maxime in statuendis ritè, & rectè observationibus, ut inde eam demum experientiam nos habere credamus, quae ad Medicinam faciendam necessaria meritò judicatur. Falluntur itaque, alioſque fallunt, qui longam annorum seriem

enu-

enumerantes, ea ſola ratione ſe expertos autumant, nam temporis curſu major factorum numerus obviam fit ſenſibus, ſi tamen ea facta indebitè obſerventur, nihil aliud majori aetate conſequuntur, niſi ut errores, exemplorum malè intellectorum numero foveantur. Optimè praeterea de ipſis cecinit Poeta Venuſinus inquiens, tales homines, nihil rectum ducere, niſi quod ſibi placeat, & turpe putare, quae imberbes didicere, ſenes perdenda fateri. Ut igitur obſervationes rectè inſtituantur, neceſſe eſt obſervatorem vitare debere omnes errores, qui in exercitio ſenſuum committi ſolent, quod facilè conſequetur, ſi logicae regulis fuerit inſtructus, eaque attentè animadverterit, quae inter Graecos Sextus Empyricus, & inter Neotericos Mallebranchius ea de re abundè tractarunt. Oportet etiam ut omnis judicii praecipitatio, tum praeconceptae opiniones prorſus evellantur, nam iis in intellectu exiſtentibus, homo non de his rebus, quae videt, & tangit, ſed de iis, quae prius concepit, judicare ſolet. Interim experimenta, & facta naturæ, diverſis rationibus combinari debent, videndumque, num conſtanter in omnibus temporibus eadem eveniant, num pro diverſitate temporis, aetatis, conſtitutionis anni, aliarumque rerum ſimilium, effectus obſervabiles ſint diverſi. Ea omnia acutiſsimo ingenio, acerrimoque judicio perſcrutatus magnus Hippocrates obſervationes ſcripſit aeternum duraturas. Et rei gerendae difficultatem agnoſcens Philoſophiae Experimentalis ſedulus propagator Robertus Boyleus, poſt infinita propemodum tentata experimenta, tum demum propriam cognoſcens imbecillitatem, tractatum ſcripſit, aureis litteris dignum : *de infido experimentorum ſucceſſu.* Videant igitur Tyrones, quae fides adhibenda ſit hominibus illis, qui in Medicina faciendа conſenuerunt, & continuo crepant ſuam experientiam,

cum

cum nec logicam, nec criticam, nec rationis criteria, vel ex ipso adhuc limine salutaverint, adeo ut ipsis, siquid boni unquam in praxi effecerint, occinere quisque possit vulgare adagium : *Athenienſium inconſulta temeritas.* Hoc solicitè animadvertentes sapientissimi Medici Uratislavienses, tractatum ediderunt *de Experientia*, quem Tyronibus eximie commendo, tamquam adeo utilem, ut nihil supra.

Quoad rationis usum in Medicina facienda, id semper curandum, ut ab experientia nunquam sejungatur. Constat ex philosophicis, id quod *rationem* appellamus in homine, ratiocinium quoddam esse ex pluribus compositum propositionibus, quarum primae, quae antecedentia vocantur, tamquam fundamenta sunt, ut ex ipsis eruatur alia, quae consequens dicitur. Igitur, ut ratiocinia in Medicina rectè disposita sint, necesse est, ut propositiones, quae antecedentia dicuntur, experientia fulciantur, & propositio, quae tamquam consequens ex ipsis deducitur, etiam eidem conveniat, adeo ut quidquid Medicus ratiocinando deducat, quocumque demum modo id efficiat, si experientiae non cohaereat, aut ipsi opponatur, prorsus vanum, & incongruum sit. Aptissimè ad hanc rem Baglivius inquit: „ Medicus naturae minister, & interpres, quidquid „ meditetur & faciat, si naturae non obtemperat, naturae „ non imperat. "Atque naturae optemperare nihil aliud est, quam ejus opera experiundo cognoscere, ejusque motus in omnibus imitari. Hinc sequitur, hypotheses omnes, quae speciosis Philosophorum innituntur speculationibus, veluti Arabum, Cartesii, Neutoni, Chymicorum, aliorumque hujus farinae hominum nihil aliud esse, quam verba otiosorum senum ad fallendos imperitos juvenes. Naturam non esse abstrahendam, sed secandam, neque excogitandum esse, sed inveniendum, quid natura faciat, aut ferat,

rat, jam ſcitiſsime animadvertit Verulamius. Ea quae Philoſophi, tum veteres, tum Neoterici citra experientiam ſtatuunt, hypotheſes ſunt, & commenta, quae facilè delet dies: ratiocinia quae in experientia fundantur, natura ipſa confirmat. Debet igitur Medicus, ad ratiocinium rectè dirigendum in praxi, plurimas, & recte inſtitutas obſervationes, tamquam antecedentia aſſumere, indeque conſequens naturae conſentaneum deducere, atque hoc modo procedendo non facile errabit. Exempli gratia: Videt aegrum febricula leni & ad ſuperficiem corporis parum accedente laborantem, pertinaciſsima vigilia, & dolore capitis afflictatum, pauciſsimo ſomno eoque turbulento, gaudentem, cum pulſu interim parvo, & denſo. Haec omnia facta ponens tamquam antecedentia, recte deducet tamquam conſequens, aegrum delirio laboraturum, nam nullibi unquam omnes iſti effectus apparuerunt, quin aegri in phrenitidem proni fierent. Si vero cognoſcere velit hunc morbum per hypothetica ratiocinia, quatenus judicet ſanguinem his aut illis abundare particulis, per hos, aut illos tranſire canaliculos, frequenter errabit, quoniam iſta ignota ſunt Medico, & merè ſuppoſita, non autem probata atque adeo ſingulis centum annis conſeneſcunt, & in ruinam abeunt. Eodem modo inſpicit aegrotum, quem nudiustertius febris cum rigore corripuit, & vomitu bilis amariſsimae, quae per duodecim aut circiter horas duravit, cum cardialgia, & anxietate, quo tranſacto ſpatio, ſudor per univerſum corpus apparuit, remiſsit febris, donec penitus evaneſceret. Sequenti die, ſalva fuerunt omnia. Tertio autem ab invaſione, iterum redit febris cum vomitu, & cardialgia, & lypotimiis, quae ſubinde aegrum nimium oppreſſere, donec febris ceſſaret. Medicus experientia inſtructus, facile agnoſcit, hunc morbum eſſe febrem ter-

tertianam, & quidem pernicioſam, & acutiſsimam, & periculo plenam. Unde nulla interjecta mora corticem peruvianum praeſcribit, & aegrum à morbo liberat. Si haec gubernaret per hypotheſim, qua ſtatueret, bilem prius eſſe praeparandam, purgandam poſtmodum, acceſsiones febris ex foco putredinis dimanare, atque adeo ventilationem neceſſario praeire debere quaecumque alia remedia, toto coelo aberraret, & inter vanas Medici ſpeculationes aeger interim periret. Hoc argumentum, quod eſt totius verae Medicinae cardo, pro dignitate tractavit Boerahavius in Oratione de *Honore Medici ſervitute*, quod omnium Medicorum animis vellem alte eſſet impreſſum. Hippocrates, qui haec omnia accuratiſsimè novit, & alii Graeci ejus veſtigia ſequentes, in eo maximè elaborarunt, ut hiſtorias morborum exactiſsimas efficerent, quibus naturae facta in qualibet aegritudine diligentiſsime ipſo ordine, quo ea obſervabant, annotare tentarunt, propterea quicumque ſimiles hiſtorias legerit, eo ipſo tempore aegros inſpicere, ſibi videbitur, adeo enim accuratae ſunt, ut non tam imagines, quam naturae ipſius opera videantur. Hinc Hallen in ſua Synopſi Medicinae practicae, poſtquam hiſtoriam peripneumoniae ex Caelio Aureliano propoſuit, tunc demum admiratus exclamavit: *En accurata morbi deſcriptio, erubeſcant Moderni.* Jam antea clariſsimi Viri Sydenhamius & Freindius cum querela notaverant, Recentiorum Medicorum libros, licet ſpecioſis rebus feraciſsimos, ob harum hiſtoriarum morborum defectum, & nimiam hypotheſium amplitudinem, parvae eſſe, in Medicina fovenda, utilitatis. Vellem tamen, ut Tyrones hac de re legerent diſſertiſsimam Nenterii praefationem *de ÆEgrota Medicina*, & *Criticas reflexiones* Domini le Franzois, Auctoris Galli, qui hoc ipſum, quod ſtatuimus, longè lateque probarunt.

Ergo ex tribus ſectis ſuperiùs memoratis, empyrica caeteris eſt praeferenda, non ea tamen, quae nomen tantùm experientiae praeſefert, ſed illa, quae experimenta, recta ratione diſpoſita, & cum ipſa conjuncta, tanquam ſua fundamenta agnoſcit. Sub hoc ſenſu empyrica ſecta eſt verè dogmatica, quoniam dogma in Medicina id eſt, quod experientia rationali ſtabilitur; atque ea ratiocinandi libido, quae hypotheſibus philoſophicis innititur, non dogma, ſed ſophiſma reverà eſt; neque dogmatica, ſed ſophiſtica eſt ea medendi ars, quae nullo alio fundamento ſtabilitur quam philoſophorum ſyſtematibus, vaniſque ſpeculationibus.

Quid igitur? Neque Botanica, neque Anatomia, neque Phyſica utiles erunt in Medicina exercenda? Minimè. Utiliſsima ſunt haec omnia, ſi rectè adhibeantur; rectè autem adhibentur, ſi ſecundum experientiam, non ſecundum hypotheſes tractentur. Igitur Botanica ad Medicinam utilis ea eſt, quae docet vires plantarum ad curandos morbos. Quae vero tradit earumdem plantarum hiſtoriam, ad Phyſicam pertinet. Quaecumque de principiis plantam conſtituentibus, philoſophicè traduntur, ad hypotheſes referenda ſunt. Ulteriùs ſcire convenit, plantarum principia, earumque vires, plurimis modis innoteſcere, ſcilicet, per experimenta chimica, & practica, & per ſyſtemata philoſophica. Quae nobis per experimenta chimica conſtant, non ſatis certos nos efficiunt de viribus medicamentorum, prout ad corpus humanum referri debent, nam adhuc exploratum non eſt per experimenta, quid ſal efficiat in homine, quid ſulphur, quid reliqua Chimica principia corpori applicata; imò Robertus Boileus longo rerum uſu didicit, & in tractatu, cui titulus eſt: *Chimiſta ſcepticus* latiſsimè docuit, non certo conſtare, an ipſa principia, quae per analyſim chimicam ex medicamentis educuntur, in ipſis praeexiterint.

rint. Igitur omni opera innitendum eſt, ut plantarum vires, aliorumque medicamentorum, quatenus ad curandos morbos deſervire valent, ſedulò examinentur, & per experimenta practica ſaepius tentata, hoc ſtudium ulterius promoveatur, nam fatendum eſt, nullam eſſe Medicinae partem adeo mutilam, & mancam, quam ea, quae de virtutibus medicamentorum in curandis morbis, tractat. Nullus eſt Medicus, qui ſibi magna non polliceatur ex hoc aut illo remedio. Nullus eſt nebulo, qui hanc, aut illam herbam non jactet, tamquam praeſentaneum ad morbos curandos remedium, & quod magis mirandum, ferè nullus eſt Auctor, quantumvis gravis in Medica Arte, qui hoc, aut illud medicamentum tamquam ſpecificum non proponat. Relinquo Chimicorum promiſſa, & vanas ſuorum remediorum exagerationes, quia nemo eſt, vel mediocriter in praxi medica inſtructus, qui eos fallaciſsimos eſſe non agnoſcat. Attamen in his omnibus, effectus promiſsis non reſpondent, unde apud cordatos viros magna circa has res eſt diffidentia, & oporteret quam maximè, ut nemo unquam alias traderet medicamentorum virtutes, niſi eas, quas certo, & indubitanter exploratas haberet, & unus Junquerus, quod noverim, hucuſque Materiam Medicam ea critice ſcripſit, ut in viribus remediorum aſsignandis falſa à veris ſeparaverit. Nuperrime autem Lieutaudus in Gallia, & Teſſarus in Italia hanc ſpartam ornarunt, ut infra videbimus. Utile igitur eſſe poterit Medico, hiſtorias plantarum exactiſsimè à Neotericis deſcriptas retinere, & ea, quae de ipſarum principiis per analyſim tradita ſunt, cognoſcere, quia ſic magna parte phyſicae inſtructus erit, ſed caveat, ne propterea ſe magnum Medicum putet, niſi interim earumdem plantarum vires, indubitanter exploratas, prout ad curandos morbos pertinent, agnoverit, nam ſi hoc de-

ficiat, ut omnibus ferè Botanicis deficere ſolet, ſimilis mihi videbitur militi plurimis diverſiſque armis onuſto, pugnare tamen neſcio propter ignorationem uſus, & fortaſſe etiam propter inſtrumentorum vel inertiam, vel non cognitam utilitatem.

Circa res anatomicas dubitandum non eſt, quin earum notitia utilis eſſe poſsit Medico, & certo modo neceſſaria ad cognoſcendam partem in morbis affectam, indeque manantia ſymptomata. Hoc ſtudium ab omni retro antiquitate excultum eſt, nam Hippocratis tempore jam floruiſſe, ex ejus libris abunde patet. Poſtmodum Eraſiſtratum, alioſque illorum temporum Medicos corpora diſecuiſſe, certiſsime conſtat. Celſum etiam inter Latinos anatomica ſcientia inſtructum eſſe, nemo eſt, qui negare auſit. Nec ſolum Galenus hanc Medicinae partem ampliſsimè excoluit, ut conſtat ex ejus libris *de Uſu partium*, & *de locis affectis*, ſed etiam Rufus Epheſius omnes humani corporis partes anatomice deſcripſit, & mira ſolertia explanavit. Inter Arabes non omnino jacuit anatomiae ſtudium, nam ut caeteros omittam, Avicena antequam de morbis tractatum faciat, prius partis, ubi morbus exiſtit, anatomicam deſcriptionem praemittit. Videndus eſt hac de re Goeliche, qui anatomiae hiſtoriam à ſuis initiis uſque ad noſtra tempora, ſatis accuratè ſcriptam, reliquit. His autem ultimis ſaeculis plurimi ſolertiſsimi viri in rebus anatomicis inſudarunt, eorumque laboribus aliqua de novo patefacta creduntur, priſcis Medicis non integrè cognita. Quidquid tamen de hoc ſit, dubitari nequit, quin ſaeculo decimoſexto, ante Harveum, celebratiſsimi viri floruerint Euſtachius, & Veſalius, ex quibus Neoterici plurima mutuati ſunt, quae tamquam nova tradiderunt. Qui in his rebus ulterius edoceri cupiat, adeat Hallerum, qui hoc argumentum longè, late-

lateque discussit. Interim notare oportet, post tot tam decantatos nostro hoc saeculo anatomiae progressus, praxim medicam inde paucum, aut nullum incrementum accepisse, fortasse, quia inter anatomicos alii in rebus minutissimis, nullius, aut saltem incogniti usus, investigandis laborarunt: alii ea habuerunt tamquam explorata, quae longe distant ab experientia: alii denique hypotheses excogitarunt, quibus naturae opera adaptare intenderunt, non autem, ut par erat, sua ratiocinia ex ipsis naturae operibus, benè, attenteque examinatis, deduxerunt. Igitur mihi compertum est, inter desiderata collocari debere quamplurima, quae hodie à Recentioribus anatomicis tamquam certissima nobis offeruntur. Ex his omnibus deducimus, anatomicas exercitationes, quae sensibiles corporis partes demonstrant, eaque omnia patefaciunt, quae in dubium verti nequeunt, utilissimas esse, & fortasse necessarias medicinae promovendae; eas vero, in quibus nobis traduntur, quae non satis explorata sunt, quae insensibilia, quae minutissima, quae hipothetica, curiositati potius pascendae, quam Medico instruendo, conducere arbitramur. Hinc aptissime inquit Celsus: „ Rationalem quidem puto Medici-
„ nam esse debere; instrui vero, ab evidentibus causis, obs-
„ curis omnibus, non à cogitatione artificis, sed ab ipsa
„ arte rejectis. Incidere autem vivorum corpora, & cru-
„ dele, & supervacuum est, mortuorum vero discentibus
„ necessarium, nam positum, & ordinem nos docent. (a) "
Pro coronide tantum restat, ut Tyrones animadvertant, anatomicas cadaverum dissectiones ad situm, & ordinem partium corporis cognoscendos, plurimum conferre, ad causas vero morborum indagandas, non maximè faciendas esse.

Si

(a) Cels. *de Re Medic. lib.* 1. *Praef. pag.* 20.

Si cauſa morbi, cujus vi homo moritur, ſenſibilis eſt, ut lapis, tumor, ulcus, & alia hujuſmodi, per cadaverum inſpectiones rimari poteſt; ſi vero cauſa morbi fuerit ſubtiliſsima, ut frequenter fieri ſolet, tunc cadaverum apertio ad eam inveſtigandam nihil facit, quia ſenſus omnes fugit. Uno verbo, ſi morbus fuerit partium organicarum, ſeu, ut Medici nunc loqui amant, extiterit in ſolidis, tunc aperto cadavere, ſaltem veſtigia innoteſcunt; ſi vero extiterit in partibus fluidis, quae fuerit cauſa morbi agnoſci non poteſt, atque ea ſolum apparent, quæ mors nova, & mutata induxit, quae obſervatio maximi eſt momenti, ut neque Skenchii, neque Boneti, neque etiam Morgagni aliorumque ſimilium hac de re obſervationibus nimium fidamus, quas nihilominus, cum his cautionibus, quandoque utiles eſſe cenſemus.

Circa phyſicae uſum in medicina facienda, nulli dubitamus eam, quae in Scholis communiter Ariſtotelica dicitur, non ſolum eſſe inutilem, ſed forraſsè noxiam, nam nihil aliud habet, quam nomen & ſpeciem phyſicae, benè autem inſpecta, metaphyſica eſt, multis intricatiſsimis quaeſtionibus, ad rem nihil facientibus, referta, quibus homines vaniſsimis replentur ideis, & ad vera naturae opera indaganda inhabiles efficiuntur. *Nimium altercando, veritas ammittitur*, inquit Publius Syrus: at, quid aliud quaeſo ſunt phyſicae ſcholarum quaeſtiones, quam impetuoſae altercationes, numquam terminandae? Igitur nullam aliam phyſicam Medicinae congruere, cenſemus, quam experimentalem, quia ea ſola eſt, quae naturae opera per experimenta & obſervationes inveſtigare docet; & circa ejus uſum ea ipſa volumus notanda, quae de experientia, in medicina facienda, diximus obſervari debere. Si ergo Medicus Phyſica Experimentali exactè fuerit inſtructus, eam-

que

que debito judicio in Medicinam transferre noverit, maximo eidem auxilio esse posse, non diffitemur. Id autem volumus sciant Tyrones, physicam, quae sub Cartesii, Neutoni, Gassendi, aliorumque similium auspiciis, circumfertur, à Medicinae arte prorsus esse ablegandam, quia hypothetica est, non experimentalis, sic quae Keilius, Freindius, Meadius per hypothesim Neutoni explicare contendunt, in Medicina nihil prosunt, licet aliqua eorumdem Auctorum scripta, quæ praxi experimentali fundata sunt, non omnino spernenda judicemus. Idem censemus de pluribus aliis Auctoribus, suis hypothesibus addictis, qui magis damnum, quam utilitatem Tyronibus adducere possunt, licet plures videamus, qui eos, nimium patienter, ne dicam stulte, mirantur. Etiam advertere oportet, inter Scriptores Physicae Experimentalis quosdam esse, qui naturam in se ipsa inspicientes, ejus opera, prout sensibus observabilia, sedulò, attenteque rimantur: alios vero, qui, certo instrumentorum noviter inventorum apparatu, res physicas investigare contendunt. Ex his autem priores longe esse anteponendos posterioribus, non dubitamus, quia illi constantem perpetuum, & immutabilem naturae operandi modum perscrutantur, hi vero, ipsam naturam cum respectu ad illa instrumenta operantem, inquirunt.

Solum restat, ut de usu auctoritatis in medicina facienda breviter agamus. Igitur Auctores esse consulendos, nemo sanae mentis negaverit; nam nemo unquam sapiens nascitur, atque adeo omnes indigent Magistris. Cum ad faciendam medicinam experientia necessaria sit cum ratione conjuncta, nullique liceat, per se ipsum satis experiri, nec viribus propriae mentis fidere, facile apparet, ad Auctores eos debere Tyrones confugere, qui in medicina facienda longo usu fuerunt exercitati, nobisque observatio-

tiones indubitatae fidei reliquerunt, ut conjungentes proprias lucubrationes cum illis, quae ipsi tradiderunt, ex omnibus benè collectis intellectus noster uberiori penu, & copia rerum necessariarum ad artem exercendam, abundet. Hinc deducitur, non quoscumque Auctores esse indiscriminatim admittendos, sed eos tantum, qui Medicinam per experientiam promovere tentarunt, nihilque statuere, quod probè non fuerit cognitum, intenderunt. Igitur in Medicina facienda, & caeteris communicanda, alii perfectionis illum gradum assecuti sunt, qui maximè eos commendabiles facit, tum propter utilitatem, tum ob suorum scriptorum praestantiam; alii mediocritatem tantum attigerunt, seu medendi scientiam spectes, seu scribendi normam; alii denique, adeo insulsè, & vanè de medicis rebus tractarunt, ut nihil aliud ab eorum lectione speres, quam vanam temporis jacturam. Igitur operae pretium est, Tyrones Auctores dignoscere, eorum utilitatem probé percipere, & inter eos, quinam vanissimi, aut inutiles sint, exacte scrutari, ut tempus omne in illis legendis insumant, ex quibus certum fructum, solidamque doctrinam uberrimè educere possint. In eorum ergo gratiam nunc praecipuos Auctores Medicos percurremus, (omnes namque investigare, praeterquamquod nimis laboriosum esset, Tyronibus grave & injucundum fore, nulli dubitamus) & crisim nostram subjicere non gravabimur, licet aliter judicandi licentiam cuilibet relinquamus, nam omnes Scriptores laudare, adulationis, aut ignorantiae speciem praefefert; eos etiam juventuti proponere sine discrimine, idem est, ac si puerum in nundinis sineres, ut optima quaeque seligeret inter pauca bona plurimis saepe pessimis mercimoniis immixta.

Ut igitur claritate & brevitate, Medicae Artis Scriptores percurramus, clariores & fama bene, vel male parta ubi-

ubique cognitos proponemus, prout pertinent ad tres celebriores Medicinae aetates. Primùm igitur trademus Scriptores Græcos, & Latinos, qui floruerunt uſque ad Barbarorum ſaecula. Deindè Arabum tempora luſtrabimus. Tamdem Scriptores, poſt renatas in Occidente litteras, examini ſubjiciemus.

Inter Græcos Scriptores, primo numeramus HIPPOCRATEM, in Inſula *COO* natum. Fuit in Medicina exactiſsimus obſervator,& hypotheſium contemptor acerrimus. Scripſit ea tantum, quae ſolis experimentis certiſsimis ipſi conſtabant. Proinde juſto titulo *Medicinae Parens dicitur*. Hiſtorias morborum adeo plené, & accuraté deſcripſit, ut nihil ſupra. Uno verbo, omnia Hippocratis opera optima ſunt, & Tyrones ſedulò ipſa legere, ac perpetuo volvere debent, ſi velint in praxi proficere, quia ex ejus lectione diſcent, morborum Hiſtorias exactas, & ſimplices confingere; eorum cognitionem habebunt ex obſervatione fideli earum rerum, quae in aegris contingunt, & denique nihil certi, in medica praxi, ſtatui poſſe agnoſcent, niſi illud quod obſervando didicerint. Proinde nullus eſt Auctor, qui cum ipſo Hippocrate poſsit comparari. Quoad ejus ſcripta ſciendum eſt, ut jam diximus, plures libros ſimul collectos ſub Hippocratis nomine circumferri, qui reverà legitimi non ſunt, quod jam adnotavit Soranus, antiquus vitae Hippocratis Scriptor, & poſtmodum advertit Galenus, & in ultimis ſaeculis docuerunt Hieronymus Mercurialis, Daniel Clericus, Schulzius, Lemoſius, aliique docti viri, qui in examinandis Hippocratis libris legitimis inſudarunt, noſque etiam poſt tantorum virorum labores, noſtram operam in ea re aliàs impendimus. Igitur ex attenta Hippocratis lectione colligimus, libros Aphoriſmorum, ſeu ſaltem ſententias in eis contentas, librum primum & tertium Epi-

demiorum, & Prognoſticorum, & de aere, aquis, & locis debere tantùm adnumerari inter certos, & indubitatos Hippocratis libros; caeteros, qui Hippocratis nomine inſcribuntur, judicamus ſpureos. Fatendum tamen eſt, inter reliquos libros eſſe aliquos magni pretii, & ſumma aeſtimatione dignos, ut *de Victus ratione in acutis*, *de Morbis*, *Coacae praenotiones*, & alii ſimiles, qui à Martiano ſummè laudantur, quia etſi non ſint Hippocratis, continent nihilominus veram Hippocratis doctrinam, & fortaſſe compoſiti ſunt ab ejus filiis, ut monet Galenus, vel à Medicis Hippocrate poſterioribus & ejus ſcholam profitentibus. Quidquid ſit, abundé conſtat, tales libros continere doctrinam utiliſsimam, & obſervationes conſtanter ſtabilitas; unde moneo Tyrones, ut continuò eos evolvant, quia, ut Duretus advertit, *plus utilitatis* ſequitur ex Hippocratis lectione uno die, quam ex omnibus pragmaticis uno ſaeculo. Certiſsime tenendum eſt, ſententiarum ordinem in Aphoriſmis Hippocratis, quem nunc videmus, ab eo non fuiſſe elaboratum, ſed poſt ejus obitum aliquis compilator collectionem, quam nunc habemus, compoſuit, ideoque nihil mirum, quod in libris Aphoriſmorum intruſae fuerint aliquae ſententiae ab Hippocratis doctrina alienae.

ARETAEUS Cappadociae in Aſia Minore natus, incertum eſt quo tempore vixerit; conjicere tamen poſſumus fuiſſe, vel coetaneum, vel paulò poſteriorem Galeno, quia cum hic mentionem faciat de Scriptoribus omnibus ipſo anterioribus, de Aretaeo habuit altum ſilentium. Graecè ſcripſit Aretaeus libros de Morbis acutis & chronicis, eorumque curationes, & Hippocratis fuit imitator, adeo, ut integras ſententias hippocraticas in Aretaeo reperiamus. Hiſtorias morborum nemo melius poſt Hippocratem deſcripſit, quam Aretaeus. Debent igitur Medici continuò ipſum le-

legere, & morbos describere simplicitate, brevitate, exactitudine, & observatione fidelissima, sicut descripsit Aretaeus.

Sequitur CAELIUS AURELIANUS Methodicorum sectator, cujus patria Sicca Africae Civitas esse creditur; attamen, quia Graecorum Medicinam secutus est, & in observando fuit exactissimus, ipsum inter Graecos numeramus. Incertum, quo tempore vixerit: antiquissimum tamen esse colligitur ex ejus operibus. Scripsit de Morbis acutis, & chronicis, & dignus est, qui continuo legatur, quia Historias morborum exactissimas, more Hippocratis, composuit. Unicum invenio vitium, quod scilicèt stilo utatur barbaro, & in quibusdam locis obscurissimo; nihilominus cum sit Auctor ad praxim utilissimus, prae manibus continuò habendum censeo.

CORNELIUS CELSUS Romae, imperante Tiberio, scripsit stilo elegantissimo libros octo *de Medicina*, in quibus hippocraticam doctrinam promovet, & sequitur. Auctor est optimus, solidis observationibus abundans, & Chyrurgiae peritissimus. Legendus est continuo, praesertim ejus praefatio, quae est opus absolutissimum, & judicio plenum.

GALENUS PERGAMI in Asia Minori natus circa annum centesimum trigesimum post Christum natum, Romae Medicinam professus, imperantibus Marco Aurelio, & Antonino. Habuit Galenus ingenium acre, faecundam imaginationem, & intellectum perspicacem: instructus fuit omni scientia veterum Philosophorum, & Medicorum; & vir fuit incomparabilis eruditionis; in quibusdam scriptis imitatus est Hippocratem, & alios Graecos, praesertim in observationibus aliquorum morborum, quos recenset in libris de *Locis affectis*, de *Crisibus*, de *Methodo medendi ad*

Glauconem, & aliis locis. Scripſit plura volumina, in quibus ſparſim reperiuntur conſilia practica ad aegrorum ſanitatem conducentia, atque adeo vere dici poteſt, quod nullus eſt Galeni liber, ex quo aliquid utile ad praxim deduci non poſsit. Verùm fatendum, Auctorem eſſe longis ratiocinationibus importunum, & ſuae imaginationi, ejuſque faecunditati plus tribuere, quam debuit. Corrupit etiam bona conſilia practica cum miſcela ſuae theoriae hypotheticae, & nihil eſt, quod non reducat ad elementa, qualitates, facultates, aliaque ſcholae peripateticae principia. Propterea Galenus minimè comparari debet cum Hippocrate, Aretaeo, Aureliano, & Celſo, quia eis eſt multo inferior in obſervationibus, licèt eruditione eos omnes longiſsimè ſuperet. Monendi igitur ſunt Tyrones, ut legant Galenum in ſuis fontibus, & ſedulo in ipſo diſtinguant, quae obſervatione ſtabilita ſunt, ab iis, quae hypotheſi fundantur, & hoc modo Galeni lectio proficere poterit. Denique in formandis morborum hiſtoriis imitentur Tyrones Hippocratem, & Aretaeum, ſed non Galenum: ab eo tamen ſedulò accipiant praecepta quaedam practica magni uſus in Medicina facienda, & in ejus operibus ſeorſim ſparſa. Videant Tyrones, ſi lubet, praefationem noſtram ad Hippocratis Prognoſtica, ubi omnia haec longè diſcutiuntur.

Inter Auctores Latinos praeter Celſum jam memoratum floruit ſub imperio Claudii Caeſaris SCRIBONIUS LARGUS, qui librum de Compoſitione medicamentorum conſcripſit, eumque ampliſsimis Commentariis Rhodius illuſtravit. Medicamenta, quae ab hoc Auctore traduntur, nihil ſpeciale habent, niſi immodicas quandoque laudes quibus ornantur, in ipſis tamen videmus, nimiam cre-

credulitatem circa medicamentorum vires apud quoſdam Medicos viguiſſe. Id tamen commodi ex hujus Scriptoris lectione deduci poteſt, quod qualis fuerit illorum temporum medicina per eum cognoſcamus, & quod ſimplicia medicamenta, interdum efficaciora eſſe, quam compoſita, judicaverit, ſic enim Callixtum ſuum, cui opus dirigit, alloquitur: „Initium à capite faciemus... dantes „operam, ut ſimplicia primò ponamus, interdum enim „haec efficaciora ſunt quam ex pluribus compoſita me„dicamenta.“

Imperante Caracalla, floruit QUINTUS SERENUS SAMONICUS, qui verſu heroico medicamenta tradidit ſingulis corporis partibus, earumque morbis ſanandis accomodata; ſed mille ſuperſtitionibus plenum eſt hoc opuſculum, quod cum eruditiſsimis notis illuſtraverit Robertus Keuchenius, videre numquam pigeat, tum propter aliquam, licet tenuem, utilitatem, tum ut medicinae facies, qualis per illa tempora fuerit, innoteſcat. Singulare tamen monitum, & veriſsimum, ab hoc Auctore adductum, dum loquitur de ventre molliendo, Tyronibus proponere non gravabor, ita enim de Medicis ſui temporis, quibus Medicamenta componere in uſu erat, quemadmodum uſus apud noſtrates obtinuit ut id munus Pharmacopolis tantùm concedatur, ſic aptiſsimè ſcribit.

Multos praeterea Medici componere ſuccos
Aſſuerunt: praetioſa tamen cum veneris emptum
Falleris, fruſtraque immenſa nomiſmata fundes;
Quin age, & in tenui certam cognoſce ſalutem.

Reliquos Latinos Scriptores illorum temporum inter

Auc-

Auctores infimi ſubſelii numerare licet, quorum tamen notitiam, ſi Tyrones deſiderent, ſatis pro captu ſuo invenient in Bibliotheca Fabricii. Nunc redeamus ad Grecos. Saeculo Eccleſiae quarto, imperante Juliano Apoſtata, floruit ORIBASIUS, qui ejuſdem Imperatoris juſſu, quaecumque ſparſim ab aliis Medicis uſque ad illa tempora ſcripta erant, in unum volumen congeſsit, quod propterea *Collectanea* appellavit; & licèt aliqua hujus Auctoris ſcripta deperdita ſint, ea tamen quae nunc reſtant nobis exhibent compendium praecipuarum rerum, & Auctorum, qui ante ipſum extiterunt. Scriptor hic legi debet à Medicis, quippe plurima continet ſcitu digna, & de omnibus Medicinae partibus abundè tractat. Fatendum tamen eſt, eo tempore Medicinam in maximum decrementum abiiſſe, quemadmodum & caeteras litteras, nam Oribaſius verus Compilator fuit, immodicè credulus, nimius medicamentorum laudator, in Hiſtoriis Morborum tradendis neque diligens neque accuratus, in remediorum formulis, ſaepe inutilibus, magnam operam impendit. Praeter Collectanea ſcripſit etiam novem ſynopſeos libros ad Euſtatium filium, quibus omnem ferè Medicinam in compendium redegit. Opus ſane exile, in quo morbi deſcribuntur à capite ad calcem; atque hic primus eſt inter antiquos Medicos, ni fallor, qui methodum ſibi comparavit tractandi de Morbis, qui caput infeſtant, poſtmodum de iis qui thoracem occupant, tum demum de his etiam, qui ventrem, & artus moleſtare ſolent, quam methodum ex illis temporibus uſque ad noſtra viguiſſe videmus, magno tamen Artis Medicae detrimento, nam certo & determinato numero morborum, cavitates, ut vocant, infeſtantium, tractatus Medicinae complentur, cum re verà omittantur aliae quamplurimae

aegri-

aegritudines, quarum notitia Medico ſummè eſt neceſſaria. Credunt nihilominus quamplures docti homines, ſub his, qui hac methodo deſcribuntur, morbis alios quoſcumque comprehendi, cum videant maxima ſignorum copia eos inter ſe convenire; attamen cum probè ſciamus inter ſe ſatis differre, ut diſtinctam naturam habeant, optandum eſſet, ut omnes nunc morbi pleniſsimè deſcriberentur, utì ab Hippocrate factum conſpicimus. Areraeus, & Celius Aurelianus methodi ſuperius propoſitae veſtigia dederunt; Oribaſius verò primus fuit, qui eam ad ſuum apicem perduxit, noſque in Praxi edocenda, ad commodiorem formam redactam, maturo conſilio ſequuti.

Eodem ſaeculo floruit AETIUS, qui, ut ex ejus operibus colligitur, fuit Chriſtianus, attamen ſuperſtitioſus. In morbis deſcribendis Auctor eſt mediocris, in medicamentorum farragine abundantiſsimus. Id ſpeciale habet, quòd plurium Medicorum antiquorum fragmenta nobis conſervet, quibus omninò careremus, niſi ejus diligentia & ſtudio conſervata eſſent. Habet praeterea aliquas obſervationes, non omninò ſpernendas, praeſertim in morbis pectoris tractandis, & in demonſtranda vi aeris ad morbos producendos.

Sequitur PAULUS, qui à loco natali, AEgineta dicitur. Hic ab aliquibus ſimia Galeni appellatur, quoniam eum per omnia ſequitur, ejuſque opus veluti Galeni compendium haberi poteſt. Nihilominus in aliquibus rebus conſulendus eſt, praeſertim in his, quae de dolore colico tradit, quippe longa oratione demonſtrat, ſuo tempore per Italiam viguiſſe hujus mali conſtitutionem, qua aegri ferè omnes in epilepſiam & motus convulſivos adigebantur, quodque magis notandum, non per communia

nia anticolica medicamenta, ſed per nimis refrigerantia ſanabantur.

F 238. Non longè ab iis, temporum ratione, diſtat ALEXANDER TRALLIANUS Graecorum ſui temporis, tum doctrinae ubertate, tum inventorum novitate celebratiſsimus. In Hiſtoriis morborum deſcribendis parcus eſt, in curationibus tamen inſtituendis ſatis accuratus. Galenum ut plurimum ſequitur, ab eo nihilominus aliquando recedit. Hunc Auctorem legere debent, qui in arte velint proficere, nam aliquorum morborum curationes optimè inſtituit.

Tempore Gratiani floruit THEODORUS PRISCIANUS, qui aliquot ſcripſit libros ad medicinam ſpectantes, & fuit ejuſdem Imperatoris Archiatrus. In libris, quibus agit de Morbis internis humani corporis, & *logicos* appellat, de pleuritide tractat, cui in hac parte Commentarios edidit utiliſsimos DANIEL TRILLERUS, vir eruditiſsimus, & de re medica optimè meritus. Relinquo PALLADIUM, qui Commentarios ſcripſit commendatione dignos in librum ſextum epidemiorum Hippocratis, THEOPHILUM PROTOSPATARIUM, qui doctrinam de urinis ab Hippocrate, & Galeno traditam in compendium redegit, & ACTUARIUM, Graecorum ultimum, qui tempore Andronici Palaeologi ſenioris circa annum Chriſti 1300. ſeu, ut alii volunt, anno 1100. floruit. Huic Auctori injurius eſt Boheravius, de eo enim ita ſcribit: *Deſinit hìc Graeca Schola, nam ea, quae Actuarius, & alii habent, neſcio an commendare auſim.* Certè ſcripſit Actuarius quamplurima commendatione digniſſima, praeſertim libros duos de Actionibus, & Affectibus, ac de Nutritione ſpiritus animalis, in iis enim demonſtrat exiſtentiam animae rationalis, prout à Medicis

Ca-

Catholicis ſtatuitur, & ab omnibus ſtatui debet, ſimulque morbos, & affectiones ſpirituum animalium optimè deſcribit. FREINDIUS in Auctoribus laudandis parciſsimus, Scriptorem hunc pluribus aliis Graecis ſuperiorem agnoſcit, in eoque multa inquit occurrere, lectu digniſsima, & curationem palpitationis cordis, morbi alioquin ſaeviſsimi, maximè commendat.

Accedimus jam ad ſecundam Medicinae aetatem, ſaecula ſcilicèt barbara, quibus ferè omninò extinctis litteris ſimul cum Romano Imperio, in magnum venit Medicina decrementum, ea enim apud Arabes tantùm excolebatur, paucis Graecis exceptis, de quibus ſuperius mentionem fecimus. Arabum Medicorum id vitium generale fuit, ſcilicèt, nedum Medicinam, ſed, & Phyſicam, & omnes ſcientias naturales, non experimentis & obſervationibus, ſed fictis principiis, arbitrariis imaginationibus, & perpetuis ſophiſmatis tractare. Ariſtotelem, ſummum Philoſophum, mirum quantùm corruperunt, unde eorum Philoſophia licèt Ariſtotelica dicatur, quam maximè ab Ariſtotele diſtat, ut optimè notavit vir magni judicii, & Scholae Valentinae decus, Ludovicus Vives, dum agit de cauſis corruptarum artium. Imaginabant ſibi Arabes quaedam axiomata, quae non in recta ratione, ſed in fictis principiis ab eorum credulitate nimia, & ignorantia naſcentibus, fundata erant, ipſiſque in more fuit medicinae, & phyſicae exactam cognitionem, non ex naturae penu, ſed ex falſis axiomatibus deducere. Hinc de ipſis loquens Trillerus, vir judicio pollens, & in Hiſtoria Medica verſatiſsimus, ſic optimè ſcribit: „Dum vanis ſpeculationibus, & ſuperſ-
„titionibus nimium addicti eſſent, factum eſt, ut plus
„imaginationis oculis cernerent, quam corporis, & hinc

„plura fingerent, quam obſervarent.“ (*a*) Verum cum nullus ſit Auctor adeo ineptus, ut in ipſo aliquid ſaltem boni non reperiatur, proinde operae pretium eſt, eorum praecipuos percurrere, ut Tyrones ſciant, quid in ipſis eligere, quid vitare debeant. Inter Arabes Medicos primum locum occupat RHAZES, inter cujus ſcripta palmam praeferunt tractatus *de Peſte*, & liber nonus ad Regem Almanzorem, in iis enim obſervationibus potius, quam ratiociniis procedit. Neque ejus tractatus *de Variolis* eſt omninò contemnendus: Auctor hic aquae frigidae copiam in peſte, febribus putridis, aliiſque morbis liberius, quam Graeci, propinavit.

AVICENA grande, & moleſtum opus conſarcinavit, in quo, quae prius à Galeno, Oribaſio, Paulo, Aetio, & Alexandro ſcripta erant, veluti in compendium redacta reperiuntur, non tamen pura, ſed barbaris locutionibus, & Arabicis figmentis conſpurcata. Aliquos tamen morbos, licèt paucos, exactiſsimè deſcribit, variolas enim, & morbillos, & morbum *Mirach* (ita affectionem hyppocondriacam appellat) adeo graficè, vereque depingit, ut inter Recentiores nemo ipſum, neque Sydenhamio excepto, ſuperaverit.

HALI ABAS Scriptor eſt inter Arabes ſatis elegans, & in dicendo liber. Si pulchritudinem operis, & ſcribendi normam deſideres, Hali Abatem: ſin praecepta practica, Rhazen, praeferas.

Inter Hiſpanos Arabes, AVERROES, & AVENZOAR, numerantur. Hic ſpretis ratiociniis, & vanis theoriis, ad experientiam ſe contulit, & proprias tradit obſervationes non contemnendas, qua ratione, meo quidem

(*a*) Trillet. *de Pleurit. cap.* 5. *pag.* 41.

dem judicio, est inter omnes Scriptores Arabes meritò commendandus. Ille verò, è contrariò, nam in libro, quem scripsit, cum titulo *Colliget*, subtilitatibus philosophicis mirum, quantum abundat, practicis observationibus ubique destituitur, & certè Arabicae Philosophiae, corruptaeque progressus per Hispaniam nostram, ipsi praecipue debentur.

Post memoratos Arabes Auctores praecipuos, suo ordine memorandi veniunt eorum praecipui sectatores, quos ne nimium oratio nostra excrescat, breviter percurremus. Igitur CONSTANTINUS Africanus Monachus Benedictinus, & Medicus, cum fructu legi potest, quippe aliqua ex Hippocrate, & Galeno, quamplurima verò ex Arabibus, brevitate, & concinna methodo scripsit. Nimis longus, & profusus est ARNALDUS VILLANOVANUS, Medicus suo saeculo famigeratissimus, licèt in dicendo liber, & acris quandoque fuerit, ac in Religionem, & vitam Monasticam injurius. Plurima scripsit, quae praxim illorum temporum nobis monstrant, non magnum tamen fructum ex his deduci, quicumque attente legerit, facilè agnoscet. Arabum Medicorum Commentatores sunt multi: qui eorum vero methodum in disputando, fingendo, cavillationibus utendo, sequuti, sunt innumeri. In priorum classe collocare oportet MATTHAEUM de GRADIBUS, JOANNEM ARCULANUM, JOANNEM de TORNAMIRA, GENTILEM de FULGINEO, JACOBUM FOROLIVIENSEM, alioque quamplures, inter quos palmam certè praeripit PETRUS MICHAEL de HEREDIA Professor Complutensis, nam licèt negari nequeat, Auctorem hunc, in Avicena interpretando, infinitis propemodum involvi Scholae quaestionibus, quisquiliis, vanissimisque argumentationibus, qui-

bus magna ex parte opus ſuum repletum eſt, tamen fateri oportet, ex Hippocrate, & Galeno, propriiſque obſervationibus, praecepta practica immiſcuiſſe adeò utilia, ut caeteros omnes Avicenae Commentatores longiſsimis intervallis poſt ſeſe reliquerit. In aliorum claſſe recenſendi ſunt quotquot rem medicam quaeſtionibus theoreticis, inutilibuſque ratiociniis, & figmentis tractare conſuerunt; & quod magis mirandum, adeo per ultima ſaecula invaluit Arabicae Scholae uſus, ut plures Auctores non infimae notae, qui Hippocratem, & Galenum, ſibi tamquam duces in medendo habuerunt, in diſputationes & tricas Arabicas nimia ſubtilitate vigentes, ipſam Hippocratis, & Galeni doctrinam adduxerint.

Venio jam ad tertiam Medicinae aetatem, in quà poſt renatas litteras, Auctores maximae notae floruerunt, quos nunc attingam, non ſervato perfecto Chronologiae ordine, ſed prout utilitate, aut alia perfectione ſeſe commendaverint; inter eos autem primo loco collocamus LOMMIUM, qui ſcripſit Hiſtorias morborum adeo accuratè, ut nihil ſupra. Soleo Lommium cum Aretaeo, melioribuſque Graecis comparare, & moneo Tyrones, ut ipſum diurna, nocturnaque manu verſent. Scripſit tractatum de Febribus curandis, in quo, juxta veram hippocraticam doctrinam, utiliſsima tradit praecepta ad febrium curationes. Compoſuit etiam Commentarios in Cornelii Celſi librum primum de Medicina, dignos qui legantur. Uno verbo Lommius eſt Auctor nulli ſecundus, & floruit circa medium ſaeculi decimi ſexti.

Sequitur NICOLAUS PISO, qui de morbis omnibus tractavit, proponens eſſentiam morborum, cauſas, ſig-

ſigna, & prognoſtica, adeo accurate, ut nihil exactius haberi poſsit. Curationes aegritudinum, quas hic Auctor tradit, non ſunt contemnendae, ſed tamen multo exactiores, & meliores reperiuntur apud aliquos Neotericos: nihilominus Auctor eſt maximae notae, & ſummae utilitatis.

CAROLUS PISO, filius Nicolai Piſonis ſcripſit *Obſervationes de Morbis à colluvie ſeroſa oriundis*. Hic liber adeo utilis eſt ad praxim, ut nemo (meo judicio) eo carere poſsit, nam ſive ſpectes obſervationum exactitudinem, ſive methodum in ratiocinando, ſeu ſagacitatem in inveniendis morborum cauſis, ſeu denique accuratam diligentiam in notandis initiis, & progreſsibus morborum, nihil poteſt reperiri perfectius. Moneo Tyrones, ut hunc librum legant, memoria teneant, ipſumque prae manibus perpetuo habeant, nam incredibilis utilitatis eſſe poterit. Vixerunt Piſones circa finem ſaeculi 16. & initia 17.

PROSPER MARTIANUS circa eadem tempora ſcripſit *Annotationes ad Hippocratis opera*, & mentem Graeci ſenis in univerſum (ut opinor) nemo melius explicuit; propterea liber Martiani eſt utiliſsimus, & ad praxim neceſſarius.

Sub initiis ſaeculi dicimiſexti floruit LUDOVICUS DURETUS in Galliis, quem, omnium Medicorum doctiſsimum, poſt Galenum natum, vocat Heurnius. (*a*) Ego autem judico, profunditate doctrinae, & medendi ſcientia, Duretum nemini eſſe ſecundum. De eo Boheravius ita loquitur: „Habemus hic (ſermonem facit de Com-„mentariis Dureti in Coacas) Theſaurum inaeſtimabilem, „ſparſa enim Hippocratis reducit ad unum locum, & Du-

„re-

(*a*) Heurn. *Comm. in Hip. jusjurand. pag.* 160.

„reti Commentario certè minus carere quiſquam poteſt, „quam Galeni laboribus, hoc enim habet egregium, „quod obſcura Hippocratis loca explanaverit, utriuſque „enim linguae, Latinae ſcilicèt, & Graecae gnarus erat, „& manuſcripta legerat, unde quaſi alter Hippocrates ex- C 693t „plicat Hippocratem (*a*). “ HOLLERIUS, & JACOTIUS, etiam in Coacis illuſtrandis inſudarunt, optimè quidem, & utiliter, non ita tamen feliciter, ac Duretus.

E.437 y 438 JOANNES FERNELIUS Gallus, vir acerrimi ingenii, & optimi judicii, nihil habet quod non ſit egregium, ejus tamen libri de *Abditis rerum cauſis*, in naturae operibus ſcrutandis, & cauſis naturalibus inveniendis, minimè inferiores ſunt omnibus iis ſpeculationibus, quibus hodie Neoterici naturae arcana intelligere gloriantur.

GUILLELMUS BALLONIUS, maſculam Medicinam verè profeſſus, ad accuratae praxeos exercitium adeo utilis, ut cum Medicis Graecis comparari poſsit.

MAURITIUS CORDAEUS, etiam Gallus, librum primum Hippocratis *de Morbis mulierum* ampliſsimis Commentariis illuſtravit, in quibus ea, quae ad mulierum purgamenta ſpectant, nemo hucuſque verius, meliuſque tractavit.

PROSPER ALPINUS librum ſcripſit *de Praeſagienda vita & morte aegrotantium*, quo nemo carere poteſt, qui morborum acutorum ſymptomata, exitus, criſes, mutationes, omniaque in iis naturae conamina velit intelligere. Scripſit etiam *Medicinam methodicam* certe laudandam; & cum apud AEgyptios diu verſaretur *AEgyptio-*

(*a*) Boherav. *Method. Stud. Medic. part.* 10. *tom.* 2. *pag.* 674. edicion de Amſterdam de 1751.

tiorum edidit *medicinam*, qua multis, noviſque curandi modis artem locupletavit. D. 22

Circa medium ſaeculi decimiſexti floruit SENNERTUS in Germania, vir magni ingenii, multigenae eruditionis, & in veterum placitis adeo verſatus, ut ejus opera veluti totius antiquitatis compendium haberi poſsint. Chimicorum tunc naſcentium dogmata diſcuſsit, & Paracelſum, hominem fanaticum, & ſuperſtitioſum, ſcriptis perſecutus eſt, utpote agirtae, & circumforanei mores exprimentem. Fuit RIVERIUS Sennerti tranſcriptor, non tamen in omnibus ipſum ſequutus, nam Riverius plures omiſsit morbos, qui à Sennerto deſcribuntur; hic etiam omnium veterum dogmata in ſuas partes traxit, at ille Galeni veſtigiis unice innixus. Hinc factum eſt, ut plenitudo, & cacochimia duo ſint generalia principia, quibus tota Riverii praxis ſtabilitur, nam nullus eſt morbus, in quo venam ſecandam, & purgationem exercendam non conſulat. Eſt etiam Riverius in remediis praeſcribendis largiſsimus, nam eodem tempore multas medicamentorum formulas conſarcinare ſolet. In curatione phrenitidis videas aegrum, à capite ad calcem, unguentis, epithematis, aliiſque hujuſmodi medicamentis adeo obrutum, ut horrendum tibi monſtruum videatur. Si morbus aliquis ex natura ſua diutius moram traxerit, tunc nihil eſt, quod non tentet. In quartana, exempli gratia, prius ſanguinem mittit, & purgat, poſtmodum ſi morbus durat (durat autem, quoniam ex propria natura longiſsimus eſt) iterum, & tertio purgat, quo facto, perſeverante morbo, ad diuretica, & diaphoretica, tum in forma apozematis, tum pilularum tranſit, nullumque ferè eſt medicamenti genus, quod non tentare audeat. Quid tum? Quartana, quae ſibi relicta,

eſt

eſt omnium febrium ſecuriſsima, improſperae curationis vi, in ſcirrum immedicabilem, dolores colicos vehementiſsimos, imò, & in ſaeviſsimam pleuritidem facilè tranſit. Id unice Riverium, pluresque alios ſui aevi Auctores excuſare poteſt, quod ſcilicet in Galeni verba juraverint, uſque adeò, ut mallent (Maſſaria praeeunte) cum Galeno errare, quam cum reliquis veritatem dicere. Propterea dum Tyrones videant Auctores illius temporis, Galenum perpetuò ſequentes, Hippocratis tamen, Aretaei, Celſi, aliorumque Graecorum ſcripta, non niſi curſim delibantes, eos minime audiant, multoque minus ſibi tamquam duces ſuos ad praxeos exercitium aſſumant.

F. 296
C. 411

VALLESIUS, Profeſſor Complutenſis, verè totius Medicinae decus & ornamentum, plurima ſcripſit commendatione digniſsima. Attamen, nullibi magis ejus ſcientia in medendo elucet, quam in Commentariis, quos ſcripſit ad libros Epidemiorum Hippocratis, ibi enim veluti Magiſter loquitur, & Medici quamplurimi, inter exteras nationes, hoc Valleſii opus miris laudibus extulerunt. Perpetuò igitur Auctor hic manibus terendus, & nocturna diurnaque manu verſandus.

Eodem tempore vixit CHRISTOPHORUS VEGA in Academia Complutenſi Profeſſor, cujus eximia opera ſummam laudem mererentur, niſi rerum Galeni fuiſſet ſectator acerrimus. Si igitur Medici ſciant, ejus laboribus uti, magnum inde proventum deducturos, non diffitemur.

LUDOVICUS MERCATUS Medicinam publicè docuit Pinciae Vaccaeorum, & libros compoſuit tanta doctrinae ubertate, & ſententiarum copia commendabiles, ut meritò inter Auctores maximae notae numerari debeat.

beat. Ejus libri *de Morbis mulierum* utiliſsimam, & praeſtantiſsimam continent medendi doctrinam.

Per haec tempora Valentiae Edetanorum Medicinam profitebantur duo clariſsima hujus Facultatis lumina, aliqua tamen inter ipſos temporis differentia, nam ESTEVE, qui Commentarios edidit eruditiſsimos in ſecundum Epidemiorum Hippocratis librum, viguit circa medium ſaeculi decimiſexti; at JACOBUS SEGARRA, qui Commentarios edidit elegantiſsimos in libros Galeni *de Differentiis, & cauſis ſymptomatum*, floruit ſub initium ſaeculi decimiſeptimi. Duo hi Auctores, ſententiarum gravitate, & practicis documentis, quibus maximè pollent, ſummè utiles Tyronibus eſſe poſſunt. Relinquo plurimos alios Auctores horum temporum, tum noſtros, tum exteros, quippe, non Bibliothecam ſcribimus, ſed delectum eorum tantum facimus, qui praeſtantia, & utilitate ſunt prae caeteris aliis commendabiles. B. 342

Saeculis proximè elapſis duo nova ſyſtemata caput extulerunt, Chimicorum, ſcilicèt, & Mechanicorum. Inter Chimicos excellit PARACELSUS homo loquaciſſimus, & vaniſsimus: agirta potius, quam Medicus. Ejus veſtigia ſequutus eſt HELMONTIUS, qui utilis eſſe poterit propter aliqua inventa chimica, & propter quaedam theoremata, quae in quibuſdam ejus tractatibus, praeſertim in eo, cui titulus: *Actio regiminis*, inveniuntur. Sed nihilominus Auctor eſt legendus cum cautela, quia eſt loquax, obſcurus, hypotheſis chimicae caecus ſectator, & naturae opera nec imitatus eſt, nec agnovit. QUERCETANUS, MINSICH, MUSITANUS, aliique hujuſmodi, chimici ſyſtematis ſectatores, poſſunt eſſe utiles propter medicamenta praeparata ſeu compoſita, quae in ipſis reperiuntur, dummodo ampullas, &

ſexquipedalia verba, quae in eorum laudibus, & virtutibus extollendis perpetuò projiciunt, ſedulò quivis vitare contendat, & omnino ſpernere. Attamen ad cognoſcendos morbos, ad praedicendum, & ad indicationes rectè dirigendas in eorum curatione, ſunt inutiles, & fortaſsè noxii.

ETMULLERUS fuit ſectator ſyſtematis chimici, & compilator celebris, ad praxim veram parum utilis. Comparari poteſt opus Medicum Etmulleri cum acervo magno, in quo reperiuntur paleae, pulvis, triticum, ſtercora, nam ex infinitis ferè Auctoribus plura deſumit, & omnia ſimul miſcet, ſine electione. Aliqua tamen, licèt pauca, notatu digna, in hoc Auctore reperiuntur, inter quae ejus diſſertatio: *Parva magnorum morborum initia*, caeteris palmam praeripit.

MANGETUS edidit multos, magnae molis, ſed parvae utilitatis libros. Id tamen in ampla ejus bibliotheca ſpectandum, quod aliquot ſcriptores, alibi fruſtra quaeſitos, integros conſervet. Deſiderandum nihilominus, ut Auctorum collectores non farraginem, ſed ſcriptorum delectum ſeveriori critice procuderent.

Qui notitias diverſarum rerum vagas quaerunt & informes, ac rebus ſolidis non delectantur, citatos Auctores, alioſque hujuſmodi in ſcriptis ſuis imitantur; unde videant Tyrones, ubi novum librum in lucem editum ſciunt, an contineat praxim, & theoriam juxta ſyſtema Chimicorum, vel juxta DOLAEI, ETMULLERI, & ſimilium Auctorum doctrinam, eumque tunc, ſi legere juvat, legant cum cautione.

Tamquam regula certiſsima & infallibilis habenda, eos Scriptores, qui res ſuas non ſtabiliunt obſervationibus certis, more Hippocratis, & aliorum Graecorum, nec na-

naturam ſequuntur in ſuis operibus, nec Hiſtorias morborum ſimpliciter, & exacte deſcribunt, ſed omnia ad ſuas hypotheſes, & cavillationes detorquent, atque non proponunt, quid natura facit, ſed quid ipſi cogitant, naturam poſſe facere; eos, inquam, Scriptores penitus eſſe rejiciendos, & tamquam hoſtes humani generis ex Medicorum manibus avellendos: atque, ut eos quilibet cognoſcat, videat, ſi more Hippocratis, Aretaei, Lommii, Piſonis, aliorumque ſimilium tractant de Morbis, in quo caſu optimi erunt; quod ſi more Helmontii, & Chimicorum, de Morbis tractent, improbi ſunt.

Accedo jam ad Neotericos Mechaniſmi ſectatores. LAURENTIUS BELLINUS quorumdam morborum hiſtorias more Hippocratico deſcripſit, & venae ſectionis utilitatem & effectus, necnon pulſuum, urinarum, & febrium differentias, mechanicè explicuit; attamen, magis ſyſtematibus, quam obſervationibus ejus dogmata fulciuntur.

BERGERUS tractatum ſcripſit de *Natura humana*, in quo, ſtilo elegantiſsimo, conſtitutionem hominis mechanicam more ſaeculi deſcribit; de rebus autem practicis non tractavit.

GEORGIUS BAGLIVIUS plura ſcripſit non contemnenda, ſed inter ejus opera excellunt duo libri de *Praxi Medica*, qui Medicos ad verum ſtudium Hippocraticum ſequendum ſummoperè excitant. Ejuſdem Auctoris *tractatus de Uſu, & Abuſu veſicantium* optimus eſt, & verè praxi conformis. *Tractatus de Fibra motrice, & morboſa* plura continent notatu digna, ſed non ſunt laudandi, ſicut libri de *Praxi Medica*; nam motus fibrarum, earumque morbos, hypotheticè tractavit, & minime fecit ipſe, quod aliis ſuaſit. De *Febribus meſentericis* egit, ſed

non parvo medicae artis detrimento, nam inde factum, ut Medici, novitate harum febrium allecti, quamplurimas febres ardentes, & malignas pro meſentericis habeant, magno aegrorum periculo. Uno verbo : tumultuariè ſcripſit Baglivius, nec omnia ejus dogmata ſunt indiſcriminatim admittenda.

JOANNES MARIA LANCISSIUS, Medicus Romanus, & Clementis Undecimi Pontificis Maximi per plures annos Archiatrus, plura ſcripſit utiliſsima, & curioſiſsima, inter quae praecipuè numerandus eſt tractatus de *Noxis paludum effluviis*, qui eſt opus omnibus numeris abſolutum. Scripſit etiam elegantiſsimum tractatum de ſubitaneis mortibus, & plura alia opuſcula lectu digniſsima. Diſsimulandum tamen non eſt, hunc Auctorem aliqua ex hypotheſi magis quam obſervatione ſcripſiſſe, more ſaeculi.

LUCAS TOZZI, non ſcripſit more Mechanicorum, ſed Chimicorum, & in eo laude dignus non eſt; ſed tamen meretur legi, quia de *Praxi Medica* aliqua ſcripſit utilia, & in remediorum electione excelluit. Commentaria compoſuit in omnes libros Aphoriſmorum Hippocratis, ſatis commendabilia, & Auctor eſſet à Tyronibus expetendus, ſi non fuiſſet fermentationum ſectator, & venae ſectionis impugnator acerrimus.

JOANNES BAPTISTA BIANCHIUS ſcripſit Hiſtoriam hepaticam, in qua morbos omnes à bile procedentes more Graecorum deſcribit, propterea opus eſt utiliſſimum, nullumque Auctorem vidi, qui de pleuritide, ejuſque variis ſpeciebus, copioſius tractaverit. Attamen in rebus merè theoreticis multum temporis inſumit, ejuſque labores aeternum durarent, niſi magna ex parte hypotheticis fulcirentur principiis.

JOAN-

JOANNES FREIND plura ſcripſit curioſa. Ejus emmenologia, ſeu tractatus de *Fluxu menſtruo*, ſecundum mechaniſmum explicat plura ad fluxum menſium pertinentia, ejuſque periodum, & naturam intelligendam. Scripſit etiam Hiſtoriam Medicinae à Galeni tempore uſque ad initium ſaeculi decimiſexti, in qua breviſsimè complectitur ea omnia, quae Medici Galeno poſteriores de morborum curatione ſtatuerunt, unde utiliſsima, & curioſiſsima adducit, & digna, ut ab omnibus aeſtimentur. Scripſit etiam commentarios in primum, & tertium librum Epidemiorum Hippocratis, non contemnendos. Hiſtoria tamen Medicinae caetera ejus ſcripta longè antecellit. Id minimè in hoc Auctore placet, quod omnia velit (ne quidem chimicis operationibus exceptis) in partes Neutoni trahere, & novis hujus temporis theoriis nimium delectetur. Hinc ejus ſcripta ad theoriam potius, quam praxim promovendam, conducunt.

SYDENHAMIUS obſervationes ſcripſit medicas cum hippocraticis comparandas. Hunc Auctorem in obſervando imitentur Tyrones, hunc in progreſsibus morborum notandis ſequantur. Eum denique nocturna, diurnaque manu verſent, ſi velint in praxi proficere.

PHILIPPUS HECQUETUS, acerrimus Mechaniſmi propugnator, plura ſcripſit non contemnenda. Unicum eſt in eo vitium, quod omnia, ſcilicèt, tribuit ſolidis, & humoribus fere nihil, cum certum ſit vitia ſolidarum partium à fluidis vitiatis pendere; propterea legendus eſt, ſed non imitandus. Ejus tractatus *de Purganda Medicina à curarum ſordibus* egregius eſt, & ad praxim utilis. Verum omnia hic Auctor, impetu quodam arreptus, ſcripſit.

ARCHIBALDUS PITCARNIUS theoriam, & praxim bre-

breviſsime juxtà Mechaniſmum tractavit, & geometricis legibus omnia humani corporis phaenomena ſubjecit; dignus eſt, ut legatur, ſed non ut imitetur, quia ratiociniis plus fundatur, quam veris obſervationibus.

JOSEPHUS REGA, Profeſſor Lovanienſis, Aphoriſmos edidit, in quibus juxta Mechaniſmi leges plura docet non contemnenda, ſed theoriae potius quam praxi promovendae accommodata.

FRANCISCUS TORTI, Medicus Mutinenſis, tractatum edidit de Febribus intermittentibus perniciosis, exactiſsimum, & ab omnibus aeſtimandum. Moleſtus eſt hic Scriptor longis ratiociniis, & inutilibus circumlocutionibus, quapropter utilitatem Medicinae induceret, quiſquis ex hoc Auctore ea tantum excerperet, quae praxi conveniunt. De eadem re, & de variolis, & morbillis melius adhuc egit WERLOFF, qui more Graecorum rem tractavit.

FRIDERICUS HOFFMANUS Auctor eſt commendabilis ob copioſam, quam continet, doctrinam, quia de omnibus ferè Medicinae partibus tractavit; ad res practicas magis prodeſt, quam theoricas, & obſervationi fuit addictus, atque magis commendabilis eſſet, ſi non profuſus in longis ratiocinationibus foret, nam per inutiles praefationes, & orationes nimis longas, moleſtus redditur. Ego, ſi fas eſſet, HOFFMANUM colocarem inter Medicos mediocres. Quia ſi veras obſervationes & ad praxim utiles ab infinita philoſophandi prurigine ſeparemus, vix tertiam ejus operum partem efficient. Id etiam vitii habet, quod omnia laudet, omnia vituperet, neque ſcire quiſquam poſsit, quid ex hujus Auctoris mente faciendum. Exempli gratia, dum *de aqua* tractat, eam facit remedium univerſale; poſtmodum de vino agens,

idem

idem efficit omnium medicamentorum pretioſiſsimum. Auctores antiquos paſsim damnat, ex his tamen, ſi quid ſolidi continet, ſemper deducit. Sunt qui hunc Auctorem ad ſidera extollunt, ſed quiſque abundet ſenſu ſuo. Id certum, neminem eum cum bona critice legere, qui ſuperius dicta vera eſſe non fateatur.

RICARDUS MORTONUS exactiſsimus fuit obſervator, atque ejus tractatus de *Phthyſi* optimus eſt, & hujus morbi hiſtoriam, cauſas, & curationem perfecte & complete propoſuit. Tractatus de *Febribus ejuſdem Mortoni*, *& de variolis*, *& morbillis* ſunt incomparabiles, & unicum eſt in eo vitium, quod ſcilicet, cortici peruviano plus virium & virtutis tribuit, quam re vera conveniat. Praeterea, calidis medicamentis, & ſudorificis, in variolis, & morbis acutis intempeſtivè utitur, in iiſque rebus non eſt ſequendus: de caetero vellem, ut Medici Mortonum perpetuò in manibus haberent.

BERNARDINUS RAMAZZINI plura ſcripſit non contemnenda, praeſertim ejus *Epidemicae conſtitutiones* ſunt utiles. Tractatus de *Morbis Artificum* utilis eſt ad praxim. Hic Auctor fuit eruditiſsimus, atque ejus lectio dulcis eſt propter ornatum, quo ſua inveſtit ratiocinia. Attamen fermentationum ſectator cum fuerit, plura immiſcet minimè approbanda.

JOANNES ASTRUC ſcripſit duos libros de *Morbis venereis*, in quibus hiſtoriam morbi gallici, ejus cauſas, & curationem tam perfectè deſcribit, ut nihil poſsit reperiri exactius. Aliqua tamen adducit, ad theoriam tanti morbi, & hiſtoriam temporum ejus originis, ſpectantia, quae non facilè approbari poſſunt.

GEORGIUS HERNESTUS STHALIUS, acerrimus Mechaniſmi impugnator, plura ſcripſit, licèt non omnia

ad manus noſtras pervenerint. Ex his quae de ipſo habemus, habemus autem ſatis multa, colligimus, Sthalium fuiſſe excellentiſsimum Chimicum, ſed mediocrem Medicum, & parùm Anatomicum. Legenda ergo ſunt ejus ſcripta, praeſertim chimica, ſed obſcuritas, & moroſitas hujus Auctoris plurimos homines emunctae naris à lectione deterrent.

JUNQUERUS, diſcipulus STHALLII, de rebus practicis cum judicio ſcripſit; propterea ejus opera optima ſunt, ſi theoriam excipias, in qua non ſolum res vaniſsimas circa naturam comprehendit, ſed, & formales haereſes continet in tractatu de *Generatione*. Id magnopere in hoc Auctore exoſculor, quod Materiam Medicam vera critice indagaverit, neque medicamentorum vires ullas approbat, niſi eas experientia confirmatas ſciat. Utinam in hac parte omnes Medicos haberet imitatores!

HALLEN, Medicus Anglus, promptuarium exhibet valdè commodum Tyronibus, qui optima conſilia celebriorum Auctorum, & remedia ſelectiora brevi methodo deſcribit. Id in hoc Auctore mihi diſplicet, quod, obſervationes practicas ex Etmullero, aliiſque Neotericis deſumat, Hippocratem autem, Galenum, caeteroſque tum Graecos, tum Arabes Medicos omninò ferè omittat: certeque foret hoc opuſculum multo magis utile, ſi Medicinae Principum regulas practicas, potius quam multas Etmulleri naenias, juventuti traderet.

F 1039. 1036

HERMANUS BOHERAVIUS, Medicorum noſtri ſaeculi Coriphaeus, ſummam laudem ex eo potiſsimum adeptus, quod noſtri temporis Profeſſores, à recta medendi via devios, poſtliminio revocavit, hippocraticam medicinam ferè omninò jacentem ſuſcitavit, & obſervationibus fidis artem locupletavit. Vir fuit ſubtilis ingenii,

op-

optimi judicii, & lectionis immenſae; atque fateri oportet, hoc ſaeculo maximam mutationem, eamque magna ex parte utilem, attuliſſe Medicinae. Inter ejus orationes commendandae prae caeteris ſunt de *Honore Medici ſervitute*; *de adquirendo certo in phyſicis*; *de commendando ſtudio Hippocratico*. Ejus chimia opus eſt abſolutiſsimum, ſeu diligentiam ſpectes in obſervandis naturae operibus, ſeu in chimicarum operationum proceſsibus annotandis, ſolertiam. *Aphoriſmi de cognoſcendis*, & *curandis morbis*, methodo facili, brevi, & clara tradunt morborum Hiſtorias, & curationem, ita tamen ut multum à Graecis ſcriptoribus diſtet, hi enim ſimplici, pura, ratiociniis philoſophicis non obſcurata methodo morborum hiſtorias litteris conſignarunt; at Boerhavius in aphoriſmis mechaniſmum ſaepe immiſcuit, qui ſane utpote ſyſtematicus cum veris obſervationibus raro cohaeret. Ejus *inſtitutiones Medicae* ea omnia comprehendunt, quae ultimis his ſaeculis circa nova inventa anatomica circumferuntur. Hunc Auctorem, qui alia quamplurima ſcripſit commendatione digniſsima, legant Tyrones, & venerentur. Attamen ſciant oportet, duo eſſe in Boerhavii ſcriptis conſideranda, obſervationes, ſcilicèt, & ratiocinia. Si obſervationes ſpectes, nihil exactius: ſi ratiocinia, more ſaeculi multum habent pulchritudinis, utilitatis parum; negari enim nequit, quin plurima Boerhavii themata, aut incerta ſint, aut non ſat firmis fundamentis ſtatuta. Hallerus ejus diſcipulus aliqua confutavit à Praeceptore inconcuſſe admiſſa. Sic, quae de inflammationibus affert, & vaſis arteriarum lateralibus, inania eſſe ſatis conſtat. Pariter inter anatomica plura admittit, tamquam certè inventa, quae Hallerus ipſe verè collocat inter deſiderata. Adeo potens eſt ſaeculi cujuſvis ingenium, ut homines quamtumvis eruditos, gloriae cupiditate allectos, ad ſe trahat. Ita benè

multa in Boerahavio ſunt, quae confirmatione egent,& hypotheſi potius , quam veris obſervationibus fulciuntur , atque ſperandum eſt, ut ex his multa in lucem clariorem dies protrahat , & longioris aevi diligentia.

GERARDUS VANSWIETENIUS, BOERAHAVII per plures annos Auditor , commentarios edidit in ejus Aphoriſmos de cognoſcendis,& curandis morbis, vera Medicinae ſapientia refertos. In iis invenient Tyrones quidquid ſolidum , & utile ab antiquitate circa morborum indolem , & curationem , dictum , interimque novas noſtrorum ſaeculorum obſervationes longo uſu probatas in uſum practicum, & veterum illuſtrationem adducit. Ea omnia complectitur ſtilo puro, gravi, perſpicuo, adeò, ut ejus lectio utilis Tyronibus eſſe poſsit. Id unicè hunc Auctorem minus memorabilem reddet,quod ob Boerahavii adhaeſionem nimiam pluribus rebus ſaeculi non benè diſcuſis , teneatur ſaepiſsimè, mentem Auctoris explicando , commentationes efficere longas , quae ad Theoriam magis , quam praxim inclinant. Verum quidem eſt , optimum hunc , & ſapientiſsimum Virum , id agnoſcentem , tali arte ſe gerere , ut Theorias illas , quantum poſsit , vel phyſicis , vel medicis obſervationibus immiſceat , quae totam rem ornant , & illuſtrant.

JOANNES GORTERUS, etiam BOERAHAVII diſcipulus, plura ſcripſit non contemnenda, inter quae ejus diſſertatio de *Actione viventium particulari:& Medicina hippocratica* palmam praeripiunt. Auctor eſt eximius , verae Medicinae aſſecla , idque unum ipſi non favet , quod theoricis noſtri temporis concluſionibus nimium delectetur, uſque adeò, ut aliquos Hippocratis Aphoriſmos ea ſola ratione rejiciat, quod rebus neotericorum , aut opponantur , aut non conveniant. Si haec ab hoc Auctore demantur , caetera quae praxim pertinent, Tyronibus maximè utilia eſſe poſſunt.

AL-

ALBERTUS HALLERUS, Boerahavii discipulus, vir est eruditissimus, immensae lectionis, in omnibus medicinae partibus versatissimus, verum in rebus anatomicis discutiendis, praecipuam operam collocavit. Plurima scripsit, tum ad suas orbi litterario communicandas lucubrationes, tum ad Boerahavium illustrandum; sed in omnibus ejus scriptis elucet maximè ingenium, labor, diligentia, & studium improbum. Rebus practicis parum delectatur, unde Tyronibus ad omnia, qua latè patent, medicinae ornamenta utilis est, res tamen ad praxim spectantes, ex aliis jam memoratis Boerahavii discipulis, melius deducent. Interim fatendum, hunc Scriptorem orbi litterario communicare quandoque celebriorum practicorum scripta, quae propriis praefationibus ornare solet. Sic historia morborum Uratislaviensium, ad res practicas utilissima, ejus auspiciis in lucem prodiit.

Hucusque egimus de Auctoribus ad praxim praecipue spectantibus, pauca nunc afferemus de his, qui circa Pharmaciam, & Anatomiam versantur. Igitur Heisteri compendium anatomicum, pro usu Tyronum, in hac parte sufficere poterit, quoniam hypothesi omni rejecta, res anatomicas breviter, & perspicue describit. Pro pharmacia, quatenus ad morborum curationem conducit, summe utilis est Geofrojus, Junquerus, qui si attentè legantur, sufficere possunt, quoad usum medicamentorum simplicium; quoad composita vero medicamenta Pharmacopea universalis Lemerii, extemporanea Fuller, & Joannis Batei, pro Tyronibus sufficere possunt, quoniam medicamina continent selectiora, & prae caeteris aliis, usu probata. Sed hìc minimè reticendum, novissime editam Medicinae Synopsim ab insigni viro *Lieutaud* elaboratam, quae duas partes continet, quarum prima omnes morbos, altera omnia medicamenta enume-

merat. Commendanda eſt haec ſynopſis Tyronibus, quia pars prior de morbis, ſecluſa omni theoria, dilucide & hiſtorice tractat: pars poſterior medicamentorum tum ſimplicium tum compoſitorum vires in examen revocat, pluraque fabuloſa nec bene examinata ad trutinam reducendo abjicit. Ac licet non dubitemus quin naevos aliquos reperturi ſint in eo opere emunctae naris homines, tamen laudem multam ex eo Auctorem reportaturum minime inficiamur, optandumque eſſet, ut qui de rebus medicis tractare incumbunt, ejus veſtigia praemerent. Inter Italos *Teſſari* hanc ſpartam ornare agreſſus medicamentorum omnium vires ſeveriori critice perſequitur. Utilis quidem labor, ſi nimia brevitate Auctor obſcurus non redderetur. Prodiit haud dudum memoratu dignum opus domini *De Sauvages*, ubi infinitus penè morborum & ſimptomatum numerus in claſſes, prout in plantis ab hodiernis botanicis fit, redigitur. Multa ſunt in eo opere notatu digna, multa ſyſtematica, plura ulterioribus obſervationibus confirmanda. Laudamus magnam viri ſolertiam laboremque improbum; ſed methodus minime arridet, quippe ut claſſes compleat botanicorum more, non aegritudines tantum, ſed cauſas, phoenomena, ſimptomata, pro veris & primariis morbis ſaepe uſurpat. An ea methodus in aegris curandis exoptatum effectum ſortitura? Viderint practici. Qui longiorem de Auctoribus tractationem deſideret, adeat Boerhavium, & ejus illuſtratorem Hallerum in libro cujus titulus: *Methodus diſcendi Medicinam.*

TRAC-

TRACTATUS I.

DE URINIS.

CAPUT I.

Quid, & quotuplex ſit urina.

1 CUM occulta internorum morborum conditio non niſi per externa ſigna queat facile adipiſci, atque debitus humorum motus, & ordo per particulas ab eiſdem ſeparatas cognoſci poſsit, idcirco mos fuit à Medicinae initio inter Medicos, aegrorum ſuorum urinas inſpicere, ut juxta diverſam earum naturam diſtinctam arguerent morborum rationem; atque licet inter Neotericos aliqui inutile eſſe Medicis urinas inſpicere, aſſeruerint, imò & ipſis indecoroſum judicaverint, tamen qui rectè per obſervationes morborum aegros curare voluerit, attentè debet, & urinas, & alvi excrementa sedulò conſiderare: nam licet urina non ita fidum ſit ſignum, & certum, ut ſit prorſus infallibile, tamen ſignum est aliquando curiosè notandum ad rectè in aliquibus morbis praesagiendum.

2 Veteres Medici Galeni, & Arabum doctrinae adhaerentes, ſic urinam diffiniunt: *Serum humorum à renibus attractum, indeque per ureteres in veſicam tranſcolatum, ut utile fiat ſanguis animalibus nutrimentum.* Verum haec diffinitio explicat partes, per quas urina expellitur, & finem quem natura in ejus evacuatione intendit, potius quam ipſius urinae naturam. Neoterici ſic urinam explicant: *Liquidum lymphaticum, & ſeroſum, ſalibus, & ſulphure repletum, & à natura in animalis commodum per veſicam evacuatum.* Haec urinae explicatio licet exactior ſit quam antece-

dens, tamen terminis expreſſa eſt inuſitatis, quae propterea aliqua indiget declaratione. Liquidum urinae dicitur lymphaticum, quod idem eſt ac aqueum, quia major urinae pars aquea eſt. Additur *ſeroſum*, quia urina non eſt mera aqua, ſed portio fluidior humorum noſtri corporis nedum ex aqua, ſed ex subtilioribus eorumdem humorum particulis cum ipſa permixtis conſtituta, quae ut diſtinguatur à pura aqua, *ſerum* dicitur. Omne illud quod linguam pungit, *ſal* à Neotericis appellatur, non quidem propriè, ſed per ſimilitudinem cum ſale communi qui linguam vehementer pungit. Cum vero in urina reperiantur particulae pungentes, & ſtimulum in lingua, & ore excitantes, propterea dicitur urinam esse serum salibus repletum. Quaecumque materia inflammationem concipere apta, & foetori adquirendo idonea, dicitur à Recentioribus *ſulphur*, propter ſimilitudinem cum sulphure communi, quod maximè foetidum, & inflamnabile est. Cum vero in urina plures reperiantur particulae foetorem, & inflammmationem facilè concipientes, inde fit, ut ſulphure conſtare dicatur. Denique cum aquea humorum portio salibus & ſulphure repleta, seu, quod idem est, serum particulis impuris, & à naturali humorum vitalium constitutione alienis, calore partium pronum sit in putredinem, inde fit ut à natura extra corpus expellatur. Quaenam vero sint partes illae per quas fit expulſio urinae, non omninò compertum est. Veteres plurimi, & ex Recentioribus non pauci crediderunt, urinam duci cum ſanguine ad renes, indeque per ureteres & veſicam expelli; verum diverso modo id fieri aſſeruerunt; nam Galenico-Arabes facultate renum attractrice fieri autumant. Recentiores vero hanc attractionem negantes in varias abiere sententias, nam Chymici à fermento renibus implantato urinae secretionem fieri contendebant: mechanismi autem ſectatores multum inter se discrepant, nam ipsorum aliqui certos poros determinata figura praeditos in renibus statuunt cum particulis urinam componentibus exacte congruentes, unde fit ut sanguine lege circulationis per arterias emulgentes in renes delabente, particulas urinae ibidem unicè deponat, quo-

quoniam ipsis recipiendis pori solum adaptantur, reliqua sanguinis pars, utpotè minus proportionata figuræ pororum atque adeò per ipsos transgredi inepta, ad cursum suum per corpus peragendum progreditur. Alii vero, quibus istae pororum conformationes minimè placent, probare contendunt, urinae secretionem in renibus fieri per pressionem sanguinis per arterias delabentis, per proportionem vasorum laterialium ex ultimis arteriarum ramusculis prodeuntium, ac denique per specialem renum structuram huic operi destinatam adeò, ut his omnibus simul concurrentibus, urinae secretio necessario fieri debeat. Verum quis non videt haec omnia mera esse figmenta in mente Auctorum elaborata, & à naturae operibus multum aliena? Intendunt homines sciendi nimium cupidi intelligere ea, quae natura sub densissimis tenebris occulta esse voluit, cumque ipsis deficiant lumina quae sola praestare natura apta nata est, inde pro suo arbitrio supponunt non quae revera sunt, sed quae si essent, ipsorum menti satisfaciendae apta forent.

3 Ex antiquissimis Medicis Hippocrates non uno tantum in loco statuit, urinae secretionem fieri partim recta via ex ventriculo, & hypochondriis ad vesicam; partim vero à toto corpore in renes fluere, ut inde per ureteres ad vesicam deducta expellatur. Hanc Hippocratis doctrinam pluribus argumentis probat Marcianus, eamque Praxi Medicae congruere innegabile est. Inter Recentiores plures sunt qui urinam recto tramite duci ex ventriculo in vesicam crediderunt, verum inter ipsos longe caeteros superavit tum argumentorum pondere, tum experimentorum numero celebris Morinus, uti apparet ex dissertatione quam Parisiensi Academiae anno 1701. obtulit. Ego autem ut multum verosimile judico, urinae secretionem utraque via fieri, partim scilicèt ex ventriculo in vesicam per primam regionem, & per ductus soli naturae cognitos, partim vero per renes & ureteres. Inter argumenta quae ad probandum transitum urinae ex ventriculo recto tramite in vesicam adducuntur, duo tantum Tyronibus proponenda duximus, caetera in Auctoribus citatis legenda relinquentes. Primum est quod sumitur ex usu quorumdam

alimentorum, & potuum, nam ex esu asparragorum citissimè olet urina; neque fieri potest, ut tanta celeritate asparragi vertantur in chi um, postmodum in sanguinem, ac tandem serum ex his confiatum per renes transeat, ut urinam constituat. Similitèr quotidiè videmus aquas quorumdam fontium, praesertim mineralium, adeò celeriter transire ex ventriculo in vesicam, ut nullo modo tanta brevitate fieri possit per renes. Secundum argumentum deducitur ex usu cantharidum, nam ipsis assumptis, citissimè laeditur vesica; ac emulsiones, lac, aliaque similia diluentia, quae ad temperandum ardorem à cantharidibus inductum praescribuntur, suum effectum illico praestant, quin longam renum viam transgredi teneantur, per quam longa mora virtutem amitterent. Ex his igitur concludendum est, urinam partim duci recta via ex ventriculo in vesicam, partim vero ex sanguine & toto corpore per renes expurgari. Hinc deducitur observatio magni momenti in praxi, nam in morbis ventriculi, hypochondriorum, aliorumque viscerum primae regionis, certum indicium dat urina earum aegritudinum, quae ipsa molestant.

4 Sed quomodo fertur urina in vesicam, an attractione, an pressione, an denique proportione pororum cum particulis? Id hominibus nimium curiosis investigandum relinquimus. Sufficiat nunc innuere, urinae secretionem simul fieri posse pressione, & attractione; quid enim vetat, quominus ventriculus undique sese constringendo aqueam alimentorum portionem premat versus partes illi subjectas? Quid etiam vetat, quominus vesica attrahat ad se aquae portionem à ventriculo, & partibus ei subjectis compressam? adde evaporationem & transcolationem mirificam partium ventris attractionem maxime juvare. Idem quod dicimus de ventriculo, intelligendum est de caeteris corporis partibus, quatenus premendo serum humorum, & attrahentibus ipsum renibus, postmodum sequitur expulsio. Dicet fortasse aliquis eas attractiones esse ignorantiae asilum. Fatemur ingenue ignorare nos, quomodo fiant hae, aliaeque similes naturae operationes, sed quocumque modo efficiantur, id certum est,

na-

naturam aqueam humorum ſubſtantiam per veſicam educere, hancque operationem ſenſibus noſtris perceptibilem, & obſervabilem ex parte veſicae, vocamus attractionem, qua voce ſignificamus effectum nobis conſpicuum, licet modus quo fit, ſit incognitus. Sentimus nos ipſum quod Neutoniani inter Neotericos Philoſophos minimè erubeſcunt docere, ſcilicèt attractionem univerſale eſſe rerum principium, quo natura ſua opera mirabiliter exercet. Quidquid ſit de hac attractione, abunde nobis conſtat, quamcumque aliam hypoteſim à Recentioribus excogitatam ad urinae ſecretionem explicandam, verbis magnificis, magniſque ampullis eſſe propoſitam, ſed à veritate etiam ſcimus procul abeſſe.

5 Circa differentias urinarum agnoſcendas, advertant Tyrones non modo eſſe inſpiciendas in ordine ad naturam communem, ſed etiam particularem, ut perfectior fiat cognitio. Sic ratione ſuae texturae (modum ſubſtantiae vocant Galenici) vel eſt tenuis, craſſa, aut mediocris; hinc urina, quae reſpectu unius individui eſt mediocris, tenuis eſt aut craſſa reſpectu alterius, & contra, quod naſcitur ex diverſitate naturae, & temperamentorum cujuſcumque individui, unde genericè ſtatui non poteſt, quaenam ſit tenuis, aut craſſa, cum hoc potiſsimum à peculiari cujuſcumque natura deſumatur; nihilominus dici poteſt, urinam mediocrem eſſe eam, quam quiſque mingit dum omninò eſt ſecundum naturam; tenuis igitur erit quae limpida inſtar aquae apparet, magis, vel minus, prout magis, vel minus tenuis fuerit; & craſſa, quae ſimilis eſt liquori turbido, caenoſo, faeculento, &c.

6 Tenuis igitur urina juxta morborum diverſitatem, in quibus apparere ſolet, diverſa etiam indicat; nam ſi appareat in principio febrium acutarum, aut morbum capitis citò venturum, aut aegrum in deterius ire demonſtrat. Eſt ratio, quia talis urina indicat febriles, impuraſque particulas adeò humoribus implicari, ut ulla vi queant quovis modo ab ipſis ſeparari, unde tenax morborum cruditas oritur; hinc fit, ut vel iſtae particulae humoribus mixtae ſuas exerant tragoedias in capite, delirium, ſoporem, aliudve ſymptoma inducentes, quod ſaepiſsimè accidit; aut alibi affixae ſymptomata

fe-

febrium exaſperent, ſanguiniſque & humorum agitationem promoveant. Si in hiſtericis appareat, inſtantis paroxiſmi eſt certum indicium, eis enim ſolemne eſt, aliquibus horis ante paroxiſmi invaſionem, urinam inſtar aquae limpidae è rupibus ſcaturientis ejicere; ſimili modo in ſcorbuticis, gallicis, & hypochondriacis talis urina eos, magis quam par eſt, moleſtari demonſtrat.

7 Si urina tenuis mingatur, & poſtmodum fiat craſſa, albicans, turbida, & veluti caenoſa, ſignum eſt pravae digeſtionis alimentorum in ventriculo, & conſequenter multorum flatuum exinde naſcentium, proinde tales urinae tempore hyemis familiares ſunt ſcorbuticis, hiſtericis, ventriculo debilibus, & hominibus ſtudioſis, quos omnes, praeterquam quod malè digerunt, moleſti flatus ſolent vehementer ingruere. At haec omnia intelligenda ſunt de urina tenui, quae fit à cauſis internis, & à peculiari viſcerum diſpoſitione; ſaepiſsimè enim à rebus externis, earumque abuſu procedit urinae tenuitas, quin ſignificet ea, quae fuere propoſita; ſic à magna, & immodica aquae communis aſſumptione, ſicut à largo vini albi potu urinae ſolent tenues apparere. Praeterea in aquis thermalibus experimur, ſtatim ab earum ſumptione urinas tenues, imò & tenuiſsimas mingi.

8 Urina craſſa ſemper indicat, in febribus potiſsimum, multam ſalium in corpore redundantium, aut copioſam impuritatum in eo exiſtentium multitudinem; ſi autem fuerit immodice craſſa inſtar urinae jumentorum, praeſentem, vel futurum capitis dolorem demonſtrat, juxta illud Hippocratis: *Quibus in febre urinae craſſae ſunt veluti jumentorum, in eis dolor capitis aut adeſt, aut aderit.* (a) Urina craſſa, turbida, & variis arenulis ſaturata in declinationibus febrium bonum indicat, ſignificat enim impuras humorum particulas à corpore per urinas expurgari. In febribus tertianis, aliiſque intermittentibus frequentiſsimae ſunt tales urinae; fieri ergo ſolent à ſalibus diverſi generis in corpore hoſpitantibus, & febrilibus impuritatibus in eo exiſtentibus. De craſsis urinis ſic ex vero lo-

(a) Hipp. *lib.* 4. *Aphor. ſent.* 70.

loquutus eſt Galenus : *Nonnullae igitur urinae perturbatae diutiſsimè manent , nonnullae cito ſedimentum craſſum conſequuntur , ac tardam morbi ſolutionem fore ſignificant ; quae caeterae non reſident , viribus conſtantibus longum fore morbum , proſtratis vero aegrum interiturum praenunciant* (a).

9 Circa cauſas urinarum tenuium , & craſſarum non eſt cur in eis immoremur , quia juxta morborum diverſitatem diverſae eſſe ſolent earum cauſae ; generaliter tamen fiunt urinae tenues inſtar aquae , propter defectum aliquarum particularum , & ſalium in ipſa naturaliter innatantium , ſive iſtae particulae deficiant , quia in aliis partibus ſtagnent & ad urinae vias non perveniant , ut accidit in affectibus convulſivis : ſive ab humorum conſortio non ſeparentur , ut accidit in febribus acutis : ſive in lympha diutius detentae,& à nimia ejus copia immodicè dilutae non patefiant , ut accidit in ſcorbuticis , & hyſtericis : ſeu denique in evaporatione & tranſcolatione , ob obſtructas vias nec ſatis pervias id ſolum tranſmittatur , quod fluidiſsimum , tenuiſsimumque eſt. Urinae craſſae tales fiunt à nimia copia particularum , ſalium, aut impuritatum humorum , quae impuritates , & particulae diverſae naturae eſſe ſolent , juxta diverſitatem morborum , in quibus apparent.

CAPUT II.

De coloribus urinarum.

10 NIhil in urina inſpiciendum majori attentione , quam color , ex ejus enim natura , & varietate deducunt Medici tum ad aegros ſanandos praecepta , tum ad praeſagiendum in morbis indicia ; verum ante omnia notandum eſt , urinarum colores non à qualitatibus phyſicis , ut aliquibus Antiquis viſum eſt , provenire , ſed juxta ea quae ſuperius diximus , ab ordine , & connexione , qua partes urinae mutuo combinantur , & connectuntur. Ex ea enim connexio-

(a) Galen. *Comment. in lib. 4. Aphor.* | *Hipp. ſent.* 70.

xione oritur, ut radii lucis hoc, vel illo modo reflectantur, & colores hii, aut illi naſcantur. Urinarum colores alii ſunt ſecundum naturam hominibus ſanis convenientes,& alii praeter naturam ipſis aegrotantibus familiares. Colores naturales urinae ſunt color ſubpallidus, ſubrufus, ſubflavus, id est,modicè pallidus, rufus, aut flavus. Color pallidus urinarum ſimilis eſt vino albo tenui, ſeu paleis maturis; color rufus ſimilis eſt auro, & flavus croco.

11 Dum ergo dicti colores apparent, non ſemper ſunt naturales reſpectu cujuſque individui, licet dicantur abſolutè naturales, quia ſi aliquis, v. g. fuerit temperamento biliosus, & urinam ſubpallidam excreverit, certè haec non erit ei naturalis, quia ejus naturae non competit, licet naturalis abſolutè cenſeatur; propterea urina ſubpallida naturalis eſt naturis parum calidis, ſubrufa naturis mediocriter calidis, & ſubflava calidiſsimis. Crediderunt Antiqui urinas has naturales tingi, ſuumque accipere colorem à bile, eò quod viderint bilem in veſica ſimilem cum illis ſervare colorem. Neoterici autem urinas naturales ſuum colorem accipere ſtatuunt à copia ſalium ammoniacalium, & aliquibus globulis in ſanguine hoſpitantibus, & per urinam excretis, quod plurima juxta ipſos probant: primo, teterrimus, & fracidus urinae odor: ſecundo, maxima particularum urinae ſubtilitas, & penetratio, ex urina enim elicitur ſpiritus adeò volatilis, ut diaforeſim moveat, coagulationem diſſolvat, appoplexias ſanet, &c. Haec tamen diſſentio parvi eſt momenti, nam particulas in urina calidas, ſubtiles, inflammationi, & putredini pronas, ſeu bilem nomines, ſeu ſulphur cum ſale permixtum, perinde eſt, nihilque ex hac diverſitate immutatur, ſeu ſpectes morborum cognitionem, ſeu prognoſim. Conſultius tamen eſt retinere cum veteribus *bilis* nomen.

12 Colores praeternaturales (praeter pallidum, rubrum, & flavum, cum propriae naturae non congruunt) ſunt color albus, rubicundus, viridis, lividus, & niger. Color albus in urina ſaepiſsimè oriri ſolet à nimia humorum faeculentia, ac depravata alimenti in ſanguinem converſione, ſicut ab alimentorum in ventriculo praepoſtera digeſtione, quia quando

ali-

alimentorum partes in ventriculo malè ſubactae in partium conſortium feruntur, nequeunt ibidem eis faciè adaptari, unde plures remanent, quae per urinas à natura amandantur; propterea ſimiles urinae familiares eſſe ſolent Veneri, Baccho, & gulae nimium indulgentibus, & quibus propter ventriculi languorem, vel alimentorum perniciem pravè fit alimentorum coctio & digeſtio. Idcirco ſi tales urinae appareant in principiis morborum, pravam humorum craſſorum colluviem ſtagnare demonſtrant, ac primam alimentorum digeſtionem extra naturae inſtitutum in corpore celebrari. Si autem in declinationibus febrium apparere incipiant tales urinae, criſſim moliri naturam per eas partes ſignificant.

13 Accidit aliquando ut urina alba fiat à pure, cum ſcilicèt praeceſsit aliqua inflammatio in jecore, renibus, aut aliis partibus, eaque in ſuppurationem verſa, pus excernitur per urinam, eam albam reddens. Cognoſcitur pus in urina ex inflammatione antecedenti, ulcere, aut aliis, ex quibus pus generari poteſt, quia ſi haec prius praeceſſerint, & poſtmodum urina alba excernatur, ſignum eſt eam urinam tingi à pure; quod ſi praeter dicta, acrimonia inter mingendum accedat, certiſsimum ſignum eſt puris per urinam excreti; alii addunt pus in urinis cognoſci, quia ſemper fundum matulae petat, non ita craſsi humores, ſed cum ipſe id ſerio in empiematicis obſervaverim, infidum ſignum eſſe deprehendi. Tandem ſolent urinae albae fieri ab ichoribus quibuſdam cum ipſa permixtis, eamque tingentibus, qui ſolent potiſsimum apparere in mulieribus gallica lue infectis,& gonorrhaea laborantibus, quod cognoſcitur ex ipſa relatione aegrotantis ſe gallico morbo affectum eſſe dicentis. Adde, ex morbis diuturnis renum & veſicae urinam albam reddi, malo utplurimum omine, ut in commentariis ad Hippocratis Prognoſtica monſtravimus.

14 Color rubicundus urinarum Antiquis credebatur fieri à ſanguine in majori, vel minori copia, prout color magis, vel minus rubicundus eſſet. Nos tamen fatemur interdum ita eſſe, potiſsimum in febribus ſinochis, & quibus aliquo vaſe rupto ſanguis excernitur per urinam, verum hoc manifeſtè cognoſcitur ex ipſo ſanguine, qui clarè conſpicitur in

ipſa urina; ſed cum in febribus acutis ab inflammatoria ſanguinis diatheſi naſcentibus, ac in meſſentericis à pravo humorum apparatu in meſſenterio ortis, ſicut etiam in tertianis intermittentibus urinae rubrae appareant, eaque rubedo non fiat à ſanguine, proinde videndum eſt quid ſignificent, & unde procedant tales urinae. Dum igitur Medicus urinam rubram videat, ſtatim inſpiciat linguam, quae ſi fuerit ſicca, aſpera, nigra, & febris aliquo modo ardens, tunc ſignum eſt urinae rubedinem ab alchalicis ſalibus, ſulphureiſque particulis nimis calidis, & exaltatis provenire, ac interim ſanguinem inflammatoria diſpoſitione eſſe affectum. At ſi ſub urina rubra lingua fuerit alba, ſpurca, & viſcida mucagine plena, tunc *plerumque* ſignum eſt urinae rubedinem à ſalibus acribus, & muriaticis in ipſa exiſtentibus naſci; quapropter in tertianis intermittentibus, in febribus meſſentericis, ac tandem in ſcorbuticis, hypochondriacis, & hydropicis (in quibus ſolent aliquando tales urinae apparere) ſi quis experiri velit, quod de urina rubra diximus, ipſa refrigerata poſt duodecim horas à mictione plus, vel minus, panno ſubtili eam percolet, & trajiciat, quo facto videbit in panno remanere innumeros ſales rubicundos inſtar laterum pulveratorum, à quibus provenit urinae rubedo. Hinc miſerè errant aliqui, dum viſa urina rubicunda, eandem à nimio ſanguinis ardore ſemper proficiſci judicantes, ſtatim clamant pro venae ſectione exercenda, ac nihil aliud certè faciunt ſanguinem mittendo in ſimilibus caſibus, quam febres ſatis laeves, & morbos citò curabiles, reddere inexpugnabiles, & acutos, ac febres facile ſolubiles, in chronicas, difficile curabiles, & hecticas lethales convertere. Haec urinae, & linguae connexio in morbis modo jam explicato clarè deducitur ex illa Hippocratis doctrina: *Lingua lotium ſignificat, &c.* (a) Diximus *plerumque*, quoniam aliquando urinae rubrae cum lingua alba, & viſcida, etiam ſignificant ſanguinis inflammationem, quod per caetera ſigna cognoſcere oportet, nam ſi urina fuerit rubra, & aeger in delirium proclivis, aut convul-

(a) Hipp. *lib. 6. Epid. ſect. 5. ſent. 14.*

vulsione prehensus, aut aliis quibuscumque affectionibus inflammatoriis, *licet* lingua alba sit & spurca, nihilominus inflammationem significat.

15 Urinas virides, & lividas adhuc paucis licuit observare in praxi, crediderim propterea ipse similes urinas rarissimè apparere; verum si aliquando appareant urinae virides in principiis morborum acutorum summam significant acidi humoris, praesertim melancholici, exaltationem, ac nimias proinde effervescentias in corpore ab ipso acido inductas, propterea pernicioſae esse solent, & aegrum malè se habere significant. Similiter urina livida magnam significat sanguinis exolutionem, proindeque ut plurimum est lethalis, proprium enim est coloris lividi in quacumque corporis parte existat mortem significare, juxta illud magni Hippocratis 2. Prognosticorum, sententia 8. dicentis: *Si ungues, ac digiti lividi fiant, expectanda mors continuò est*; quod confirmat 4. Aphorismorum, sententia 47. ubi ait: *Excretiones in febribus non intermittentibus, lividae, cruentae, foetidae, & biliosae, omnes malae, &c.* Urinae ergo lividae sunt adeò pernicioſae, vel quia significant extinctionem caloris nativi, vel humorum diatesim viribus vitae alienam.

16 Tandem urinae nigrae non adeo infrequentes sunt in praxi, ac à partibus tartareis, & faeculentis (vulgo ab humore melancholico) tinguntur, propterea illis naturis, quibus tales particulae redundant, familiares sunt, & interdum utiles; si mulieribus supprimantur menstrua, & hominibus haemorroydes, ac postmodum urinae nigrae reddantur, indicant tunc faeculentas sanguinis partes, quas per uterum in mulieribus, & per haemorroydes in hominibus natura, solita erat evacuare; per urinas excerni, quapropter tales urinae utiles esse solent. Urina nigra in hypochondriacis, & ictericis cum duritie dextri, aut siniſtri hypochondrii lethalis est ut plurimum, sin minus longum fore morbum significat. Si urina nigra appareat in principiis morborum acutorum, magnam significat aduſtionem, proindeque morbum nimis acutum, vel lethalem fore demonstrat; si autem appareat in de-

clinatione, criſim per illam partem ſignificat, & aliquando bonum ſignum eſt. Denique ſi aegro nimis laceſsito urina appareat nigra, & perlucida, mortis jam jam advenientis certiſsimum ſignum eſt, quia nigrae excretiones, & lucidae fiunt ab attra bile, quam vocant exquiſita, quae ſemper in aegris mali ominis eſt juxta illud Divini Senis praeceptum: *Morbis quibuslibet incipientibus, ſi atra bilis ſupernè, vel infernè exeat, lethalis* (a).

CAPUT III.

De ſedimento urinarum.

17 INſpicitur in urinis, naturalibus potiſsimum, ſedimentum quoddam album, ſeu nubecula quaedam inſtar velleris lanae, in fundo matulae ut plurimum reſidens, ex quo ſigna coctionis à Medicis deſumuntur. Hoc ſedimentum in ſanis portionem crudam chili eſſe, in aegris verò febre putrida laborantibus, non ſolum portionem chili crudam, ſed & portionem humoris putreſcentis in foco crediderunt Antiqui, proindeque coctionem incipere judicabant dum tale ſedimentum in febribus inciperet apparere, coctionem autem perfectam eſſe dicebant dum ſedimentum eſſet album, leve, aequale, & in fundo matulae. Ut haec autem melius intelligant Tyrones, ſcire oportet, hoc urinae ſedimentum quandoque exiſtere in ſuprema urinarum ſuperficie, quod tunc nubes dicitur: quandoque in media aquei licoris parte, & Graecè aeneorema, Latinè ſuſpenſum nominatur: aliquando, imò & frequentiſsime exiſtit in fundo matulae, & ſedimentum appellatur.

18 Nunc autem ex qua materia ſedimentum fiat, & quid ſignificet, breviter exponamus. Arabes Medici ſedimentum in hominibus ſanis docent fieri ex portione chili cruda, quae non converſa in ſanguinem virtute heparis, cum aquea ejus portione ſecedit, & cum urina expellitur; in aegris vero fe-

(a) Hipp. *lib.* 4. *Aphor. ſent.* 22.

febri praeſertim putrida laborantibus, nedum ex portione chili cruda jam dicta effici ſedimentum ſtatuunt, verum etiam ex portione humoris (ut ipſi loquuntur) putreſcentis in foco, hoc eſt, ex portione illius humoris calidi, qui praecipuum dat fomitem febri putridae. Haec ſententia, ſi rectè intelligatur, & commodè explicetur, non eſt omninò aſpernenda, imò Tyronum captui accommodata, & Praxi Medicae ſatis congruens. Igitur ſedimentum in ſanis portionem chili crudam eſſe, hoc modo intelligere oportet. Cum licor aqueus recta via ex ventriculo in veſicam per primam regionem progreditur, ſecum arripit & adducit aliquam portionem alimenti, quae communiter pars eſt tenuior & vaporoſa alimentorum, atque dicitur portio cruda, quoniam majori elaboratione indigeret, ut eſſet perfectè cocta; inde fit, ut ſi pluribus ingeſtis alimentis, & plurimo etiam aſſumpto potu aliquis pauco tranſacto tempore ad mingendum excitetur, prima urina paucum, aut nullum habet ſedimentum, idque crudum ac craſſum eſt, caeterae vero urinae, quae progrediente ulterius coctione ventriculi, ejiciuntur, ſedimentum habent magis coctum, & copioſum. Ea pars humorum aquea, quae in tota corporis ſuperficie, ejuſque vaſis minimis exiſtit, dum ad renes progeditur pro urina efformanda, ſecum defert portionem alimenti non ſatis apti ad partium nutritionem. Cum vero febres omnes putridae fomitem ſuum habere debeant (ſeu hic fomes cum vera inflammatione, ſeu tantum cum aeſtuatione, & calore nimium aucto conjungatur) vel in prima regione, vel in caeteris quibuſcumque corporis partibus, taliſque fomes igneae ſit naturae, inde fit, ut vis coquendi alimentum maxime minuatur, humoreſque nimia agitatione commoti perturbentur, unde accidit, ut incipientibus his febribus ſedimentum paucum, aut prorſus nullum appareat, non quod materia ſedimenti non reperiatur in urina, ſed quoniam partes alimenti cum portione aquea mixti, propter nimiam agitationem, caliditatem, & perturbationem cum caeteris partibus urinae confunduntur, neque ab illis ſeparantur; progreſſu vero temporis natura coctionem alimenti iterum ſuſci-

cipiente, ac humorum perturbatione aliquatenus correcta, ſedimentum incipit apparere, quod propterea dicitur in aegris conſtitui ex portione alimenti cruda, & ex humore in putredinem prono.

19 Cum vero inſpectio urinarum praecipuè à Medicis fiat, ut per ipſas ſigna coctionis, & cruditatis humorum in morbis cognoſcere valeant, propterea, quid per coctionem, & cruditatem intelligamus, explicare oportet. Humores noſtri corporis, ſeu ſint alibiles, hoc eſt, ad alendum corpus proportionati, ſeu ſint excrementitii, hoc eſt, etſi ad nutritionem inepti, ad alios tamen uſus naturae congruentes deſtinati, ſi ſuam indolem, quantitatem, & qualitates naturae ordini conſentaneas ſervent, cocti dicuntur; ſi vero à natura recedant, tum quantitate, tum qualitate, tum ordine, crudi appellantur. Igitur incipientibus morbis acutis à putredine ortis, ſeu cum ipſa conjunctis, ſumma adeſt humorum cruditas, quoniam tenue illud, atque ſubtiliſsimum igneae naturae principium, quod omnes febres procreat, maximam inducit in humoribus diſgregationem, aeſtuationem, & receſſum à ſtatu naturali, unde eos maxime crudos reddit: progreſſu verò temporis, & increſcente morbo, cum natura nullo non momento nitatur, humores ad ſtatum ſibi convenientem reducere, hinc fit, ut in aegritudinis augmento aliqua jam appareant in excretis ſigna coctionis. Quod ſi natura ſuo robore humorum vitium corrigendo ulterius progrediatur, in ſtatu morborum perfectam coctionem in humoribus obſervamus, hoc eſt, perfectam eorum reſtitutionem ad ſtatum naturae omninò congruentem. Hinc deducitur, quod ſi in excretis ſigna coctionis appareant, & haec ulterius procedente morbo non augeantur, aegrum, vel moriturum, vel longo tempore laboraturum indicium eſt juxta illud magni Hippocratis: *Coctiones celeritatem, & ſecuritatem judicii oſtendunt, cruda enim & incocta, & in pravos abſceſſus converſa, aut acriſias, aut labores, aut morbi longitudinem, aut mortem, aut morbi reverſionem ſignificant* (a). Propterea rectè dixit Galenus:

(a) Hipp. *lib.* 1. *Epid. ſect.* 2. *ſent.* 18.

nus: ſe neminem unquam pereuntem vidiſſe cum bonis ſignis coctionis. Deducitur etiam, ſymptomata maxime eſſe obſervanda ſimul cum humorum coctione, nam ſi haec incipiat apparere & ulterius progrediatur, ut diximus, atque ſymptomata ſint prorſus morbo convenientia & appropriata, licet gravia, & vehementia fuerint, tunc de aegro ſemper bene ſperandum; contra, ſi coctionis ſigna incipiant apparere, nec ulterius rectè progrediantur, ac ſymptomata pejora ſint, & graviora quam pro morbi ratione, & naturae viribus oportet, tunc aegrum, vel moriturum, vel longo tempore laboraturum ſignificant. Haec omnia tamen ita intelligenda ſunt, ut in morbis tantum à putredine procedentibus vera eſſe ſciamus, nam ſi malignitas aliqua ſpecialis tunc vigeat, cum ſignis coctionis humorum moritur aeger, quoniam vitium praeternaturale malignitatis non tam in humoribus, quam in ſpiritibus ſuam tragoediam exerit. Significant ergo ſedimenta, quae in urinis apparent, coctionem, vel cruditatem hoc modo: ſi ſedimentum fuerit colore album, ſuperficie laeve, & in fundo matulae extiterit, tunc ſignificat bonam coctionem, quoniam in homine perfecte ſano in quo coctio exactiſsima eſt, ſedimentum propoſitas habet conditiones; quod ſi non extiterit in fundo matulae, neque fuerit laeve, ſed divulſum, neque colore album, tunc cruditatem ſignificat majorem, vel minorem, prout res iſtae magis, vel minus recedunt à ſedimento ſanorum. Haec omnia ſequenti capite uberius exponuntur.

20 Solent interdum urinae quaedam oleoſae apparere, quae ſi ſint in aegris febre acuta laborantibus, ſignum eſt colliquationis carnium, ac pinguedinis, & conſequenter febris colliquantis; ſi autem in homine ſano, febre, aut alio morbo gravi minimè affecto, appareant, morbi gallici indicium eſſe ſolent; ſi in urina hominis acutè febricitantis appareat in ſuperficie pinguedo, inſtar telae aranearum, aut ſaevi liquati, ſignum eſt magnae colliquationis, & graviſsimi morbi; ſi autem talis pinguedo in hominibus ſanis appareat, tunc pravum ſignum non eſt; quia in his non ſignificat liquationem, ſed potius quoddam ſulphur rancidum, &

craſ-

craſſum in corpore redundare, & per urinas excretum, ſub forma pinguedinis apparere: idcirco in hypochondriacis, & ſcorbuticis ſimiles urinas, abſque ullo aegri detrimento, non ſemel obſervavi. Solent etiam in urina apparere carunculae, & veluti capilli, quae in hominibus aegrotantibus renum vitium ſignificant, potiſsimum eorum exulcerationem, juxta illud magni Hippocratis 4. Aphoriſmorum, ſententia 77. dicentis: *Quibus cum urina craſſa carunculae parvae, ac veluti capilli una exeunt, iis à renibus excernitur.* Verum ſi haec filamenta, ſeu capilli, alba fuerint, & homo non aegrotaverit, tunc ſignificant, aut pollutionem nocturnam, aut gonorrhaeam veram; ſi autem haec filamenta fuerint rubra, concretionem ſanguinis in partibus internis indicant, & mictum cruentum fortè ſuperventurum demonſtrant.

CAPUT IV.

Hippocratica doctrina de urinis expenditur, & explicatur.

21 HIppocratis doctrinam de urinis tamquam veriſsimam, & praxi medicae congruam Tyronibus proponendam duximus, utpotè ad morborum naturam cognoſcendam apprime neceſſariam. Galenus ſparſim in ſuis libris plurima ſcripſit de urinis non contemnenda. Poſteà Teophilus, qui Protoſpatarius dicitur, & vixit ſaeculo Chriſti quinto, in compendium redegit, quae ab Hippocrate, & Galeno de urinis ſcripta ſunt. Demum Actuarius ultimus Graecorum tractatum ampliſsimum de urinis nobis reliquit, dignum certe, qui legatur ab omnibus medicam artem ritè exercere volentibus. Verum cum Hippocrates omnium Medicorum Praeceptor, & Princeps doctrinam de urinis tradiderit, brevitate, utilitate, & veritate adeò commendandam, ut nihil ſupra, propterea eam Tyronibus tamquam normam certam proponimus, hortantes, ut ipſam memoriae commendent,

dent, nequé umquam eam oblivioni tradant.

Urinam autem copia potui reſpondentem reddere oportet, ſemper aequalem, & quam maxime effuſſam, & ad paulò craſſius inclinantem, quam quod potu ſumptum eſt. (a)

Loquitur Hippocrates de urina, quae in ſtatu naturali mingitur ab homine ſano, quae conditiones habere debet in textu propoſitas, ſcilicèt, quod potui quantitate reſpondeat, & ſemper ſit ſimilis, & una vice magna copia effundatur, & paulò craſsior ſit, quam potus aſſumptus. Si his conditionibus adjungas colorem debitum cum ſedimento proportionato, optimas habebis conditiones urinae perfectiſsimae.

Si verò fuerit aquoſa, & copioſior, quam pro eo, quod bibi imperatum eſt, ſignificat hominem non obedire, ſed copioſiore potu uti, aut non poſſe renutriri, quandiu talem urinam faciunt. (b)

Inquit Hippocrates in hoc textu, urinam copioſiorem ipſo potu, & ſumme dilutam, indicare hominem non recta uti victus ratione, unde urinam ejicit copioſam, & crudam. Haec omnia intelligenda ſunt de homine alioquin ſano, nam ſi aegrotet, diverſa ſignificatio ab hujuſmodi urinis deducitur. Unde quid ſignificet urina aquea & copioſa in aegris videamus.

Cum caput immoderatius incaluerit, copioſa urina redditur. Liquatur enim in eo pituita; liqueſcens autem partim quidem ad nares, partim ad os, partim etiam per venas, quae ad pudendum ducunt, ſecedit. (c)

Igitur in affectionibus catharroſis, de quibus in praeſenti tex-

(a) Hipp. *Praedict. lib. 2. cap. 4. Chart. tom. 8. pag. 813.*
(b) Hipp. *loc. cit.*
(c) Hippoc. *de Morb. lib. 2. cap. 1. Chart. tom. 7. pag. 550.*

tu loquitur Hippocrates, ſaepiſsimè contingit, ut capite calido, urina copioſa, & aquea ejiciatur. Eam affectionem Medicus colligere poterit partim ex relatione aegrotantis, partim vero ex ſignis, quae catharrum praeſentem demonſtrant. Simile quid accidit illis hominibus, qui caput ſtudiis, nocturnis lucubrationibus, & vigiliis nimis calefaciunt, quibus omnibus nullum praeſidium praeſtantius eſt, quam pediluvia ex aqua ſimplici, aut cum lactuca decocta.

Epilepticis urinae praeter morem tenues & crudae, ſi repletio nulla adſit, de inſtante caſu admonent, &c. (a)

Hac ſententia admonemur, eos qui proni ſunt ad epilepſiam, facile in ipſam incidere, ſi urinam ejiciant tenuem & crudam, idque non proveniat à repletione. Admonemur etiam hyſtericas foeminas, ſi urinam aqueam & crudam magna copia ejiciant, paroxiſmum jam proximum ſpectare debere, quod in quibuſcumque aliis morbis convulſivis ut plurimum eodem modo accidere ſolet.

At vero urina cruda jam diu ſic reddita, ſi caetera ſint ſalutaria, abceſſum denunciat cum dolore, idque in partibus, quae infra ſunt diaphragmate. (b)

Certa eſt haec ſententia prout jacet, nihilque aliud requiritur, niſi ut Tyrones advertant verba illa, *ſi caetera ſint ſalutaria*, nam urina tenuis & cruda, quae longo tempore perſeverat, tunc ſolum abceſſum ſub diaphragmate venturum ſignificat, cum non adſunt ſigna lethalia, imò potius dominantur in aegro ſigna ſalubria.

In longis febribus, exiguis, & erraticis urinae tenues mejendo emiſſae, lienoſae. (c)

Hac

(a) Hipp. *Coac. Praenot. lib. 2. cap. 3. ſent.* 55. Duret. *pag.* 522.

(b) Hipp. *loc. cit. ſent.* 24. Duret. *pag.* 507.

(c) Hipp. *loc. cit.* Duret. *pag.* 520.

Hac ſententiâ docet Hippocrates cognoſcendum eſſe fomitem febris longae, exiguae, & erraticae eſſe in liene, atque adeò medicamenta ſpleni congruentia tali febri ſanandae eſſe opportuna.

Quibus urinae pellucidae, & albae ſunt, malae, maxime vero ſi in phreniticis appareant. (a)

Nullum ſiquidem vidi (inquit Galenus) in quo talis apparuiſſet urina, phreniticum ſervatum, melius enim eſſet, ſi quemadmodum totus biliosus morbus eſt, ita urinae quoque apparerent biliosae; aquosae vero urinae, ejuſmodi enim ſunt pellucentes albae, maximam oſtendunt cruditatem, & praeterea totius bilis flavae motum ſurſum in caput factum eſſe denunciant. (b) Caetera quae de urina alba pellucida phreniticorum ſcire expedit, in Praxi videnda. (c)

Quibus per febres urinae turbatae quales jumentorum, his dolor capitis vel adeſt, vel aderit. (d)

Quoniam Hippocrates in hac ſententia de craſsis urinis loquitur, comprehendamus nunc in ejus explicatione ea omnia, quae circa urinas craſſas oportet ut Tyrones intelligant. Igitur ex urinis craſsis, quaedam diutiſsimè turbatae manent, nonnullae autem, licet craſſae mingantur, ſedimentum relinquunt craſſum ſtatim, quae tardam morbi ſolutionem ſignificant. Aliae urinae craſſae ſunt, quae neque ſtatim, neque longo poſt tempore ſedimentum relinquunt, imò potius in tota ſua ſubſtantia perpetuo turbatae manent. Hae ſi vires conſtent, longum fore morbum denunciant, ſi tamen earum imbecillitas adſit, aegri mortem denotant. Haec doctrina, quae deſumpta eſt ex Galeno (e), certiſsima eſt in

(a) Hipp. *lib.* 4. *Aphor. ſent.* 72.
(b) Galen. *Comm. in lib.* 4. *Aphor. Hippocr. text.* 72.
(c) Vide Prax. Med. *lib.* 1. *cap.* 1. *pag.* 18.
(d) Hipp. 4. *Aphoriſm. ſent.* 70.
(e) Galen. *Comm. in lib.* 4. *Aphor. Hipp. ſent.* 70.

praxi. Si vero urina craſſa fiat in febribus, ſitque veluti jumentorum, certe etiam ſignificat capitis dolorem, aut praeſentem, aut venturum, quoniam talis urina multum calorem, multumque flatuoſum ſpiritum dominari in corpore demonſtrat. Quod ſi cum tali urina aliquod ſignum in febre appareat malignum, nedum capitis dolorem, ſed & convulſionem, & mortem ſignificat.

Urina illa optima eſt, in qua per totum morbi decurſum ſedimentum eſt album, laeve, aequale, & reſidet in fundo; haec nimirum ſecuritatem, brevemque morbum ſignificat. Quod ſi aliquid horum deeſt, ut modo pura ſit, modo album laeveque in ipſa fuerit ſedimentum, longiorem morbum, & minus ſecurum oſtendit. (a)

In hac ſententia habent Tyrones optimi ſedimenti notas, quippè album debet eſſe, laeve, aequale, & in fundo matulae reſidere, atque eo magis crudum morbum ſignificat, quò ab his conditionibus magis recedit.

Si verò paulatim ſtridat urina, aut medicamentis hominem opus habere ſignificat, aut morbum aliquem circa veſicam habere. (b)

Stridere urinam, inquit Hippocrates, urinam mingere paulatim, & impellendo, eodem modo quò alvus in teneſmo excernere ſolet, ſeu id fiat cum dolore, ſeu ſine illo. Cum igitur urina ſic dejicitur, duo ſignificat, aut hominem indigere medicamento purganti, aut morbum aliquem adeſſe in veſica, vel partibus ei proximis. Contingit aliquando ut ventre nimis repleto urina paulatim emittatur, quod malum, medicamento ventrem exonerante, facile evaneſcit. Cognoſcitur ex ventris repletione procedere urinae paucitatem, partim ex relatione aegrotantis, partim vero ex aliis ſignis concurrentibus; nam ſi homo alioquin ſanus cibo, & potu nimium

(a) Hipp. *Prognoſt. ſect. 2. ſent. 26.* | *Chart. tom. 8. pag. 813.*
(b) Hipp. *Praedict. lib. 2. cap. 4.* |

mium ſe ingurgitaverit, & poſteà in mejendo difficultatem quamdam ſenſerit, medicamento leniente ſanabitur, quod in pueris gulae nimium indulgentibus familiare eſſe ſolet. Si vero urina paulatim mingatur, idque non fiat à ventris repletione, tunc morbum aliquem circa veſicam adeſſe neceſſe eſt. Morbus autem veſicae, vel partium ei vicinarum poteſt eſſe proprius, & peculiaris ipſis partibus, vel fieri propter tranſmutationem, ſeu humorum metaſtaſim ex partibus ſuperioribus in regionem veſicae, idque ſedulò animadvertere debent Tyrones, nam ſi partes urinae primario laborent, curatio inſtituenda eſt, ſin autem per metaſtaſim, tunc curatio eo dirigi debet, ut partes primariò laborantes corrigantur, urinae autem vitium paucis, aut nullis remediis attingatur. Morbi autem, qui per metaſtaſim in urinae vias tranſgrediuntur, ſunt dolores colici & iliaci, affectio flatulenta, quae nunc hypochondriaca dicitur, melancholia per conſenſum ſtomachi, & hypochondriorum, haemorroydes, ſeu inflammatae, ſeu fluentes, & alii hujuſmodi, quibus addi poteſt terminatio quarumdam febrium continuarum epidemice graſſantium, quae fit tranſmiſſo humore febris in veſicam. In his omnibus attente obſervandum, num mutatio morbi in partes urinae fiat cum commodo aegrotantis, necne? nam ſi primo modo fiat, nihil agendum, quoad urinae morbum; ſi verò ſecundo modo accidat, tunc curatio magna cautela inſtituenda eſt.

At ſanguinem mingere, raro quidem, & ſine febre, ac dolore, nihil mali ſignificat, ſed laſitudinum ſolutio fit. Si vero ſaepius mingat, & aliquid ex his acceſſerit, malum eſt; verum praedicere oportet ſive cum dolore mingatur, ſive cum febre, fore, ut inſuper pus mingat. (a)

Haec ſententia veriſsima eſt in praxi, & prout jacet eſt intelligenda, hac unice facta diſtinctione, ſcilicet non eſſe idem ſanguinem mingere, ac urinam ejicere ſanguineam, nam dum

(a) Hippoc. *Praedict. lib. 2. cap. 4.* | *Chart. tom. 8. pag. 813.*

dum ſanguis mingitur, ſi urina aliquo tempore ſervetur, ſanguinem in fundo vaſis deponit, dum vero ſanguineum liquidum mingitur, licet urina longo tempore ſervetur, nihil ad fundum projicit, ſed potius totus urinae licor ſemper permanet ſanguineus. Hac facta diſtinctione textus Hippocratis intelligendus eſt de urina, in qua vere ſanguis ejicitur, non autem de urina mere ſanguinea. Si igitur ſanguis mingatur, idque non ſaepius fiat, ſed raro, neque tunc febris adſit, neque dolor, ſignificat per renes plenitudinem expurgari, qua evacuatione laſsitudo tollitur; quod ſi ſanguis cum febre, aut dolore excernatur, tunc ſcire oportet urinam purulentam poſtmodum eſſe mingendam. De urina mere ſanguinea, ſeu ſanguinis colorem exactè referente, aliter ſentiendum, nam ſi diutius perſeveraverit, pravam ſanguificationem ſignificat, eamque ex male affectis hypochondriis provenire. Videndus Marcianus, qui Hippocratis mentem hac de re optimè explicavit. (a)

(a) Marcian. *Comment. in Aphor. Hipp. ſect. 4. ſent. 75. & in lib. 2. Praedict. ſect. 1. verſ. 138.*

TRAC-

TRACTATUS II.

DE PULSIBUS.

CAPUT I.

De essentia Pulsus.

1 INter signa, tum statum sanum, tum morbosum demonstrantia, recte enumeratur pulsus. Galenus libro quarto *de Differentiis Pulsuum* capite secundo longe persequitur omnes pulsus diffinitiones, quae à Medicis ipso anterioribus traditae fuerunt, & postquam eas discussit, & longo sermone declaravit, tum demum suam pulsuum diffinitionem his verbis proposuit: *Actio praecipue cordis, deinde arteriarum, quae dilatatione, & compressione moventur à facultate vitali, ut caloris nativi mediocritas conservetur, & generentur in cerebro spiritus animales.* Haec Galeni diffinitio, seu potius descriptio pulsuum exactissima est, nam sub se comprehendit essentiam rei, ejusque causam efficientem, instrumentalem, & finalem. Igitur pulsus essentialiter est actio cordis, & arteriarum, non quaelibet, sed illa tantum, quae duplici opposito constituitur motu, scilicèt dilatatione, & compressione. Causa efficiens horum motuum est facultas vitalis, hoc est, vis vitae, quae in corde, & arteriis praesertim effulget. Ipsum cor, & arteriae sunt causae instrumentales pulsuum, hoc est, sunt instrumenta, quibus facultas vitalis exercet actionem pulsificam. Denique causa finalis pulsuum consistit in conservatione mediocritatis caloris nativi, & in generatione spirituum animalium in cerebro, quia isti sunt fines quos natura intendit per actionem pulsus. Si igitur Tyrones ex physiologicis intelligant, quid sit calor nativus ex mente Galeni, & in quo consistat ejus mediocritas, si sciant

etiam

etiam quid ſint ſpiritus animales, & ad quos uſus deſtinentur; ſi denique ex anatomicis calleant ſtructuram cordis, & arteriarum, invenient certe diffinitionem pulſuum à Galeno adductam, eſſe omnibus numeris abſolutam.

2 Recentiores vero, licet conveniant cum Galeno in eſſentia pulſus conſtituenda, ſicut etiam in inſtrumentis, quibus dilatationis & conſtrictionis motus peraguntur, non tamen aeque congruunt in cauſa finali ſtabiliienda, nam eos motus fieri ſtatuunt non ad mediocritatem caloris nativi conſervandam, ſed ad efficiendam, & promovendam ſanguinis circulationem, in qua, & vitam, & calorem nativum, & hominis conſervationem conſiſtere diffiniunt. Verum id velim Tyrones notent, Galenum, ejuſque ſectatores minime inter ſe diſſentire quoad cauſas finales pulſuum, imò unanimi conſenſu ſtatuere, mediocritatem caloris nativi conſervari per moderatam refrigerationem inductam praecipue ab aere, nam à nimia frigiditate calor vincitur, atque ſi nulla adſit frigiditas, omninò ſuffocatur. Contrà Neoterici in his aſsignandis adeò vagantur, ut ſumma inter ipſos diſcordia appareat. Alii namque circulationem ſanguinis unius horae ſpatio pluſquam ſexagies celebrari, alii trigintaquatuor vicibus unius horae ſpatio abſolvi credunt, alii ter tantum unius horae ſpatio, & ſeptuagies & bis intra vigintiquatuor horarum terminum ſanguinis circulum peragi credunt. Neque in eo tantum homines iſti variant, ſed in aſsignanda ſanguinis quantitate, quae ſingulis dilatationibus cordis in ejus ventriculos ingreditur, mire inter ſe diſtant. Ne quid memorem de ſumma ipſorum Auctorum diſcrepantia in his legibus ſtabiliendis, quas ſanguis in ſua circulatione peragenda obſervare creditur. Michellotus ſuas poſuit regulas, eas impugnavit Robinſonius; hunc viciſim deſtruere conatus eſt Morgagnus, eoſque omnes noviſsime Senacus nimis acerbe perſequitur. Quid igitur faciendum in tanta opinionum varietate? Mihi credant Tyrones, & in Medicina perpetuo ante oculos habeamus magni Hippocratis effatum: nihil temere affirmandum, nihil contemnendum; ſequamur igitur nunc Galeni diffinitionem, quae ſimpliciter nobis naturae opera de-

demonſtrat, & circa Neotericorum hac de re opiniones judicium noſtrum ſuſpendamus, donec meliora dies. Sed quoniam reſpiratio magnam affinitatem habet cum pulſu, aliqua nunc de ea Tyronibus proponamus. Igitur in reſpiratione thorax duplici motu dilatationis & contractionis movetur, ut dilatatione aerem trahat, & contractione expellat. Propterea ad diverſos motus peragendos diverſis etiam gaudet inſtrumentis, nam certi muſculi cum diaphragmate thoracem elevant in dilatatione, atque alii ipſis oppoſiti per actionem contrariam operantur in contractione. Hos omnes muſculos, eorumque ſitum, & operandi modum facile quiſque poterit ex anatomicis intelligere. Quid ſecum deferat aer ad vitam ſuſtinendam adeò neceſſarium, ut ne quidem momento temporis vivere homo poſsit ſine reſpiratione, omninò adhuc incompertum eſt. Galenus propter frigiditatem neceſſarium eſſe aerem ſtatuebat; ex Neotericis aliqui nitrum quoddam finxerunt in aere neceſſarium ad ſanguinis circulum promovendum; alii autem non nitrum, ſed vim elaſticam in eo repertam, judicarunt eſſe neceſſariam ad vitam hominis conſervandam, ſed figmenta haec jam penitus obſoleta ſunt, neque refutatione indigent. Nos igitur cenſemus reſpirationem propter duos uſus eſſe à natura inſtitutam; primò ad ſuſtinendum commercium inter ſpiritum vivificum corporis humani qui in corde & cerebro potiſsimum reſidet, & ſpiritum in aere exiſtentem, qui à Coelo & Aſtris ipſi communicatus neceſſarius eſt ſuſtentandae plantarum, & animalium vitae; ſecundò propter attemperationem nimii caloris in corde & ſanguine accenſi, nam per certiſsima conſtat experimenta, aerem plus juſto calidum ad reſpirationem non deſervire, imò aliquando vehementem, & ſubitam ſuffocationem inducere. Igitur pulſus, & reſpiratio in unum, eundemque finem collimant, ſcilicèt in mutuam communicationem interni, & externi ſpiritus, atque in moderatam attemperationem nimii caloris noſtri corporis.

CAPUT II.

De differentiis Pulſuum.

3 NIhil utilius in praxi, quam omnes pulſuum differentias praeſcire, earumque praeſagia; adeò enim invaluit uſus apud noſtrates Medicos pulſum pertractandi in morbis, ut nullus ſit etſi exiguus, in quo aegri non cupiant pulſum à Medicis explorari; ac licet ab antiquiſsimis Medicis non ita fuerit in uſu, à noſtris tamen propter maximam, quae exinde ſequitur utilitatem, ſedulò pertractatur. Tot differentias tradidit Galenus, ut plures libros eis adnumerandis inſumpſerit, cujus veſtigia ſequentes plures ex antiquis Medicis multas, ne dicam innumeras, & certè incomprehenſibiles pulſuum differentias tradiderunt; at contra eos inſurgit Joannes Baptiſta Montanus aſſerens: impoſtores eſſe eos, qui pluſquam ſex differentias pulſuum in praxi agnoſcunt. Nos tamen ordinem naturae inſequentes eas tantum differentias pulſuum trademus, quae in praxi quotidiè obſervantur, & Tyronibus captu faciles fiunt. Sunt ergo pulſus magnus, & parvus; celer, & tardus; vehemens, & languidus; durus, & mollis; frequens, & rarus; aequalis, & inaequalis. Pulſus magnus tria debet habere, ut ſit abſolutè magnus, id eſt, debet eſſe longus, latus, & altus, ſicut pulſus parvus debet eſſe brevis, anguſtus, & humilis. Cognoſcitur pulſus magnus cum, applicata manu, arteria extenditur quoad longitudinem ad tres, vel plures digitos, & quoad latitudinem adimplet omnem pulpam digitorum, quoad altitudinem tandem gibboſa apparet arteria. Contra, cognoſcitur pulſus parvus, cum arteria penes longitudinem ad unum tantum digitum extenditur, penes latitudinem digitorum pulpam parum implet, & adeò humilis eſt, ut in altum fere nequeat elevari. Haec intelligenda ſunt comparatione facta ad pulſum mediocrem, ſive ad pulſum ejuſdem hominis, dum ſanus eſſet, pluribus enim commune eſt pulſum ex natura ſua parvum & humi-

lem

lem in ſtatu ſanitatis habere, ut pueris, & foeminis familiare.

4 Pulſus celer ille dicitur, in quo arteria celeriter & concitatè movetur, tardus verò dum arteria nimis tardè, & lentè decurrit. Pulſus vehemens eſt qui violenter ferit, & impellit tactum, languidus qui tactui remiſsè, imbecilliter, & citra violentiam occurrit; ideò ad cognoſcendum pulſum vehementem neceſſum eſt manum fortiter applicare, nam cùm hic viribus robuſtis ſemper fiat, tangentis manum, etſi fortiter comprimentem, facile impellit. Pulſus durus ille dicitur, in quo arteria veluti rigida, & tenſa inſtar corii tactui ſeſe offert, mollis verò dicitur in quo arteria ſuavis, & quaſi carnea tactui apparet. Pulſus frequens eſt ille, in quo arteria inter utrumque motum parum quieſcit; rarus ille, in quo arteria multum detinetur in quiete. AEqualis eſt ille, cujus pulſationes proportionem ſervant adinvicem; inaequalis eſt ille, cujus pulſationes aut ordinem, aut proportionem non ſervant. Explicatis differentiis pulſuum aliqua nunc dicenda ad praxim pertinentia ex ipſa pulſuum cognitione deſumpta. Licet pulſus magnus à virium robore fere ſemper procedat, tamen interdum fallax eſſe ſolet, ſaepè enim accidit, ut cum pulſo magno aegri citò moriantur, potiſsimum in morbis pectoris dum magna adeſt ſpirandi difficultas, qua inſtante cum pulſu magno ſuffocantur aegri, ſic accidit aliquando in pleuritide, aſthmate, peripneumonia, &c. Similiter licet pulſus parvus vires debiles frequenter ſupponat, tamen aliquibus morbis eſt adeò familiaris, ut ſaepè appareat aegro ſatis robuſto, ſic in magnis, vehementiſsimiſque partium internarum doloribus pulſus parvi fiunt propter impeditum arteriae motum, ob nimiam tenſionem toto membranoſo ſiſtemati à parte dolente communicatam, quapropter ne terreantur Tyrones in praxi, ſi doloribus incipientibus pulſus parvi ſtatim fiant. Eodem modo in iis, qui ventriculo debiles ſunt, pulſus parvi fieri ſolent ob magnum ſtomachi cum corde conſenſum. Nec pulſus celer confundendus eſt cum frequenti, facile enim diſtinguntur, quia pulſus celer ſemper fit viribus robuſtis exiſtentibus, pulſus autem frequens ipſis debilibus, quapropter

ter celeritas illa, quae apparere videtur in moribundis in pulſu, non eſt celeritas, ſed frequentia.

5 Tandem reſtat, ut aliquas peculiares differentias pulſuum in praxi quotidie occurrentes, breviter percurramus. Pulſus intermittens eſt ille, in quo arteria poſt duas, aut tres pulſationes in totum quieſcit, ac poſtmodum iterum pulſans poſt duas, aut tres ſecundo quieſcit, & ſic deinceps. Fatalis eſt talis pulſus in morbis acutis, aſſerit enim Galenus nullum vidiſſe ſervatum ex his, qui pulſum intermittentem habuerunt, quod quotidie experiuntur Medici in morbis acutis; verum in morbis chronicis apparet aliquando abſque ullo periculo, potiſsimum in pueris, & ſenibus, in quibus talis pulſus adeſſe ſolet ſine imminenti diſcrimine. Pulſus formicans eſt ille, qui adeò exiguè pulſat, ut motum formicae aemuletur; familiaris eſt morti jam proximis, quia à viribus nimis proſtratis procedit. Pulſus intercurrens ſeu intercidens eſt creber cui inter aliquot pulſationes una immiſcetur crebritatem intercidens ſeu interrumpens, quae ſubinde variis repetitionibus poſt aliquot ictus frequentes intercedit. Familiaris eſt peripneumonicis exitialiter affectis, atque ardentibus quibuſdam febribus ſat periculoſis (a).

CAPUT III.

Doctrina Galeni de Pulſibus expenditur, & explicatur.

6 HIppocrates pauca de Pulſibus ſcripſit. Medici autem qui poſt Hippocratem uſque ad Galeni tempora floruerunt, de pulſibus multa tradiderunt, quae temporum perierunt tranſcurſu, qualia ſunt Eraſiſtrati, & Archigenis ſcripta, quos Galenus longa oratione ſaepè reprehendit, neque

(a) Galen. *lib.* 1. *de Different. pulſ. cap.* 11. *& de Praeſag. ex pulſ. lib.* 11. *cap.* 4. *&* 5.

que de eorum placitis quidquam nobis notum esset, nisi Galeni diligentia plura essent eorum conservata fragmenta. Galenus vero tam longe de pulsibus tractavit, ut sexdecim libros de ipsis conscripserit. In ejus tractatibus de Pulsibus plura certe sunt notatu digniſsima, plura etiam scitu necessaria, plurima demum adeò subtiliter exagitata, ut ad Philosophiam potius, quam ad Medicinam pertinere videantur. Cum tamen Galenus ipse viderit, doctrinam de pulsibus nimis longa, & difficili oratione tractasse, in gratiam Tyronum in compendium redegit ea omnia, quae sparsim in longis tractatibus posuerat & praxi Medicae congruentia esse poterant. At Recentiores pauca notatu digna hucusque attulere de pulsibus, nam Bellinus, qui hac de re caeteros excelluit, rationes potius suo systemati congruas, quam observationes ex naturae penu deductas affert. Propterea Galeni vestigia sequentes, ea quae in libro *de Pulsibus ad Tyrones* adduxit, tamquam praxi utilia sedulò persequamur.

Sanè frequenter tangenda arteria est, praesertim hominis integra sanitate praediti, atque vacui omnis vehementis motus, jam vero, & caeteris in statibus. (a)

Omnis pulsus differentia, quae à statu sano recedit, cognoscenda est per recessum ab illa mediocritate motus, quae humanae naturae in universum competit. Cum vero in quolibet homine determinato peculiaris adsit idiosincrasia, vi cujus mediocritas motus in illo determinatur, necesse est, ut Medicus quantum fieri possit, nedum naturam communem agnoscat, sed etiam particularem, & uniuscujusque propriam, & per arteriae tactum in statu sanitatis intelligat, qualis sit in unoquoque mediocritas, ut sic melius assequi recessum ab illa mediocritate in quolibet individuo valeat.

Viri mulieribus pulsum ferè habent longè tum majorem, tum vehementiorem, paulò tardiorem, satisque rariorem. (b)

Ve-

(a) Galen. *de Pulsib. ad Tyron. cap. 9. Chart. tom. 8. pag. 4.*

(b) Galen. *loc. cit.*

Veritas hujus ſententiae obſervatione comprobatur, & fortaſsè pulſus in viris vehementiores ſunt quam in foeminis propter majus virium robur, & rariores quoniam uſus & finis pulſus in viris completur per magnitudinem, & vehementiam; in mulieribus vero per majorem celeritatem.

Calidi natura multo habent majorem celeritatem, crebriorem, vehementiorem non item multo. Graciliores majorem, rariorem que multo, vehementiorem paulò. (a)

Loquitur hic Galenus de his, quae communiter contingunt, namque homines nimium calidi graciles eſſe ſolent, pulſumque habent aliquantulum celerem, attamen non nimium vehementem, quia in ipſis robur facultatis, ſeu, ut Neoterici loqui amant, fibrarum vis non nimis valida eſt. Hinc advertere oportet, non eſſe idem fibram tenſam, ac robuſtam, nam ſi ſiccitas vigeat, fibra tenſa eſt, & quandoque cum ea tenſione debilis, unde in praxi videmus homines bilioſos, & graciles pulſum aliquantulum tenſum habere, non tamen vehementem. Multo magis id experimur in his, qui ob duritiem ventris marceſcunt, in quibus pulſus tenſus, & vibratus eſt cum magna debilitate.

Porrò pro aetatibus hoc pacto immutantur. Infantis pulſus creberrimus eſt; rariſsimus ſenis; omnes, qui inter hos intercedunt, proportionem ſervant, prout, vel ad puerum, vel ad ſenem, proprius accedant, celerrimus item pueri pulſus, ſenis tardiſsimus. (b)

Quae refert in hoc textu Galenus, certa quidem ſunt, & practicis obſervationibus congrua, eorum tamen rationem reddere haud facile. Crediderim ipſe ſpiritum ſubtiliſsimum, quo corporeae operationes *inſtrumentaliter* efficiuntur, circa initia ſui motus ſummè eſſe mobilem, & vivificum, atque adeò ad celeres motus peragendos apprime proportionatum; cum

(a) Galen. *loc. cit.*

(b) Galen. *loc. cit.*

cum vero aetatum progreſſu magnas ſubeat mutationes, quibus vis ejus vivifica minuitur, tum propter diſsipationem, tum propter conſumptionem & exſiccationem nativae humiditatis, inde fit, ut accedente ſenectute, tardiores fiant motus, ad modum quo in arboribus obſervamus, quae, dum tenerae ſunt & ſuae origini proximae, multum virtutis elaſticae poſsident, ipſis autem ob ſenectutem marceſcentibus, languidos, & fere nullos habent motus.

Praegnantium majores, crebriores, celerioreſque pulſus ſunt. Praeterea nihil mutatur. (a)

Non male Galenus ſtatuit, pulſus praegnantium majores, & celeriores eſſe, quoniam gravida mulier non ſibi ſoli reſpirat, & pulſat, ſed etiam haec efficit propter foetum. (b)

Jam ſomni etiam ſunt, ſi quid aliud, ſecundum naturam, qui & ipſi variant pulſus; dum incipiunt, minores, languidiores, tardiores, rarioreſque reddunt.... Qui expergiſcuntur, è veſtigio pulſus magnos, vehementes, celeres, crebros, & cum quadam vibratione habent: qui mox mediocritatem aſſequuntur. (c)

Mireris certè Galeni induſtriam in pulſuum differentiis annotandis, quippè ea, quae de ſomni pulſu affert, certiſsima ſunt. Mireris etiam, dum obſervationes tradit de pulſibus, qui reſpondent cuicumque temperamento, ſicut de his, qui apparent in exercitiis, in balneo tum calido, tum frigido, in diverſis anni tempeſtatibus, in naturae mutationibus ex obeſitate in gracilitatem, aliiſque hujuſmodi hominis ſtatibus, quorum pulſus, prout cuicumque confert, graphicè verèque deſcribit. Nec omittit pulſus mutationes, quae ex cibo, & vino procedunt, quemadmodum alterationes, quae animi paſſionibus, ira videlicèt, laetitia, triſtitia, & timore contingunt;

(a) Galen. *loc. cit.*
(b) Galen. *de Cauſ. Pulſ. lib.* 3. *cap.* 8. *Chart. tom.* 8. *pag.* 211.
(c) Galen. *loc. cit.*

gunt; quae omnia Tyrones in Galeno ipso videre, dum ipsis per otium liceat, oportet:.

Dolor, qui quidem variat pulsus, (variat autem ingens, aut qui principes partes tenet, ut etiam inflammatio) dum parvus est, atque initio, pulsum edit majorem, vehementiorem, celeriorem, crebriorem. Auctus verò jam, & admodum validus, ut etiam vitalem contentionem offendat, minorem, languidiorem, celerem, crebrum. (a)

In omni dolore excitatur natura ad avertendam causam, unde aucto naturae conamine, augetur etiam pulsus, & magnitudinem, ac vehementiam acquirit; si vero ejus conatus irriti fiant, & causa doloris naturam gravare pergat, tunc pulsus parvi, & languidi fiunt. Ex hac Galeni doctrina duo deducuntur in praxi praecepta Tyronibus utilissima. Primum est, in quocumque dolore, si pulsus ex magnitudine in parvitatem transeant, aegri vires maximè debilitari; quod si ab initio doloris jam pulsus parvi fiant, unum ex duobus significat, aut partem summe sensibilem laborare, quale os ventriculi esse solet, aut materiam aliquam malignam esse causam doloris. Secundum est, has pulsus mutationes, quae in dolore contingunt, reperiri etiam in quacumque alia molestia nimis sensibili, ut in anxietate, inquietudine, aliisque similibus, in quibus supradicta omnia verificantur in praxi.

Inflammatio habet omnis communem pulsum, veluti serrantem; ut alia pars attolli arteriae, alia non videatur, quum illa scilicet videatur durior. Habet etiam vibrationis aliquid hic pulsus, ac celer quidem, & creber est, non perpetuò magnus tamen. At singulis est suus proprius. (b)

Igitur in omni inflammatione pulsus est durus, & veluti ser-

ra-

(a) Galen. *loc. cit.* | 12. *Chart. tom.* 8. *pag.* 8.
(b) Galen. *de Pulsib. ad Tyron. cap.* |

ratus, varius tamen quoad magnitudinem, & parvitatem, nam in quibuſdam inflammationibus magnus eſſe ſolet, in aliis autem parvus; celeritatem vero in omnibus habet inflammationibus. Jocantur quidam, quoniam pulſum ſerratilem nullibi exiſtere credunt, ſed falluntur, quoniam nemo eſt vel in praxi mediocriter verſatus, vel naturae operibus attentus, qui talem pulſum frequenter non videat in pleuritide, peripneumonia, aliiſque quarumdam partium internarum inflammationibus.

Pleuriticorum celer pulſus eſt, & creber, nec admodum magnus, videtur etiam vehemens eſſe..... Simili modo illa inaequalitatis ſpecies, quae ſerrantis imaginem praebet, in primis pleuritidis proprium eſt ſignum, ſi remiſſa eſt, mollis, & probè maturandae, ſi verò magna, difficilis, & admodum crudae pleuritidis. (a)

Pulchra quidem praecepta proponit Galenus in explicatione hujus ſententiae, (b) etenim magna pleuritidis cruditas ex pulſu multum ſerratili deducitur, ſi verò haec pleuritis nimium cruda cum viribus debilibus conjungatur, mortem inducit, ſi autem cum facultate fortiori, aut morbum longum, aut in ſupurationem vertendum demonſtrat. Rurſus ſi procedente pleuritide, pulſus in magnam crebritatem, aut frequentiam, mutetur, ſignum eſt ſyncopis, aut peripneumoniae venturae; ſi verò morbo crudo exiſtente, neque ſputo procedente ſecundum rationem, pulſus in tarditatem veniant, delirium, aut ſoporem venturum indicant.

Peripneumonicorum magnus eſt pulſus, & languidus, molliſque, velut lethargicorum pulſus, niſi quatenus praepollet inaequalitate..... Lethargicorum pulſus ſimilis peripneumonicorum eſt magnitudine, imbecillitate, mollitie; ſed eo eſt tardior, rariorque, ac minus inaequalis, intermittens potius quam intercurrens. (c)

(a) Galen. *loc. cit.*
(b) Galen. *de Cauſ. Pulſ. lib. 4. cap. 8.* | *Chart. tom. 8. pag. 224.*
(c) Galen. *loc. cit.*

Peripneumonia quandoque aliquid pleuritidis admixtum habet, tumque non pulſus abſolutè molles, ſed minus duros, quam in pleuritide facit. Pulſus lethargicorum in hoc textu adeò accuratè à Galeno deſcribuntur, ut nihil ſupra. Notare tantum hic convenit, in omni peripneumonia ſemper aliquid comatoſum adeſſe, ſi vero parum comatis adeſt, pulſus crebri ſunt, ſi verò in magnum ſoporem morbus vergat, tunc pulſus tardi fiunt.

Phreniticorum parvus pulſus eſt, (rariſsimè autem conſpectus eſt magnus eſſe) & contentus eſt modicè, durus, & nervoſus eſt, valde eſt celer, & creber; habet praeterea non nihil undoſi, interdumque vel ſubtremere tibi videbitur, interdum etiam praeciſus cum convulſione quadam. (a)

Quos Galenus in phrenitide vocat pulſus duros, & nervoſos, Coelius Aurelianus denſos appellabat. Igitur incipiente phrenitide tria haec neceſſario contingunt, vigilia pertinax cum dolore capitis; pulſus parvi, celeres, nervoſi, denſi; & febris acuta cum pauco calore, ſeu ut loquitur Coelius Aurelianus, febris difficilè ad ſuperficiem corporis aſcendens.

Orthophnoea acuta inaequalem, & ordinatum pulſum habet, & nonnihil deficientem: quae mediocriter eſt gravis, crebrum: quae violentiſsima, tardum, & deficientem: quae jam perimit hominem, crebrum, & languidum. (b)

Orthophnoeam Graeci dicebant eam affectionem, in qua aegrotantes non niſi erecta cervice reſpirare poſſunt, quae dum vehementiſsima eſt, pulſus reddit tardos, quod velim Tyrones notent, ne in pectoris morbis fallantur, nec, bonum pulſum videntes, aegrum jam morti proximum falſa ſpe deludant.

Stho-

(a) Galen. *loc. cit.* | *chart. tom.* 8. *pag.* 13.
(b) Galen. *de Pulſ. ad Tyron. cap.* 12. |

Sthomachus inflamatus ita mutat pulsum, ut corporis nervosi, diximus, pulsum solere.... Si vellicationes, vomitus, nauseae, singultus, aut langor in ipso, non solum parvum, & languidum efficiunt pulsum, interim etiam modicè celerem, verùm & admodum crebrum. (a)

Igitur stomachi inflammatio pulsum efficit similem pulsui phreniticorum. Langor vero, vomitus, singultus, aliaque hujusmodi oris ventriculi symptomata, pullum parvum.

Supererat nunc Tyronibus proponere alias pulsus differentias, quae in Medicorum libris, Galeni praesertim traduntur. Verum cum non satis observatione constent, imò, & sint gravissimi Auctores qui eas differentias, tamquam futiles, & vanas rejiciunt, proinde ab earum explicatione abstinere consultum duximus, imò negari non posse fatemur, Galenum plurima, quae de pulsuum differentiis tradidit, ingenio potius Philosophico, quam observatione Medica fuisse assecutum. Non tamen silentio pretereunda est doctrina Francisci Solano de Luque, quae non modo in Hispania, sed & caeteris regionibus multum inclaruit. Tria in opere Solani *Lapis lidos Appollinis* inscripto pro tironum usu distinguere expedit: doctrinam practicam: observationes de pulsibus: remedia. In doctrina practica id maximè commendandum, quod morborum acutorum curationes naturae praecipuè relinquendas saepè inculcat, atque ejus in ea re monita optima essent, nisi quibusdam theoriis fortasse ineptis fulcirentur. Observationes de pulsibus sunt quidem laudandae, sed non perpetuo sequendae, tum quod non sint hactenus satis stabiles ut regulas efficiant communes & generalibus naturae legibus congruentes, cum maxime quia vereor dum de pulsu intermittenti loquitur, ut crisis per alvum demonstratore, ne intermittentem pulsum cum intercurrente confundat, hunc enim Galenus crisis interdum esse praenuntium jam pridem monuit. Taceo pulsum dicrotum, hoc est, bis pulsantem non semper antecedere, nec perpetuo narium hae-

(a) Galen. *loc. cit.*

morragias comitari ut quivis in arte expertus agnoſcit, atque eum quem vocat *inciduum*, ſudoris ex Solano praenuntium, eſſe ipſum quem Galenus undoſum appellabat. Remedia Solanus aliqua in oculto reliquit; ea tamen Gutierrez ejus diſcipulus in opere *Idioma de la Naturaleza* inſcripto vulgavit, ex quibus aliqua ſunt non contemnenda, alia nimiis laudibus exaltata. De caetero Solanus Autor eſt laude dignus, & utinam Medici ejus conſilia de obſervandi naturam neceſsitate prae oculis haberent; nec dubito hujus Autoris opus immortale futurum, niſi plura in eo immiſcuiſſet vulgarem potius & ineptam eruditionem, quam veram ſolidamque doctrinam continentia.

PHARMACIA GALENICO-CHYMICA AD TYRONES.

CAPUT I.

De methodo medendi.

1 METhodus medendi eſt via rationalis, qua Medicus mentem ſuam dirigit ad curationem morborum efficiendam. Duo tantum ſunt principia, quibus Medicus dirigitur in morbis curandis, ſcilicet experientia, & ratio, ea tamen lege, ut experientia primum praecipuumque debeat obtinere locum, & ratio ipſi experientiae debeat ſubjici. Experientia eſt cognitio rationalis ex experimentis & obſervationibus deducta, quapropter ſi obſervationes & experimenta fiunt exactè, uti fieri debent, experientia prorſus in-

infallibilis éſt; quod ſi Medici quandoque inter ſe diſſideant, & quilibet pro ſe ſtare experientiam aſſeveret, credendum eſt ipſorum aliquem in experiundo non fuiſſe exactum, quod cum frequenter contingat inter Medicinae Profeſſores, proinde curare debent quam maximè Tyrones, ut experimenta & obſervationes recte, & accuratè exerceant, ut inde veram conſequantur experientiam. Quae igitur ſint advertenda in exercitio ſenſuum ad debitas obſervationes adipiſcendas, quae etiam vitanda & cavenda, longè expoſuimus in Logica, & in Praefatione ad Hippocratis Prognoſticum, quam lingua vernacula edidimus. Ratio, quae alterum eſt fundamentum methodi medendi, non debet eſſe Philoſophica, neque geometrica, hoc eſt, neque vulgaris Philoſophiae principiis ſtabilita, neque geometricis demonſtrationibus fundata, nam haec omnia ad ornatum potius, & ad mentem aliquo modo illuſtrandam conducunt, quam ad morbos ſanandos; propterea ad medicinam faciendam requiritur ratiocinatio ex ipſa experientia, tamquam fundamento, deducta, adeò ut quaecumque rationes quamtumvis ſubtiles fuerint, ſi cum experientia non cohaereant, vel ab ipſa diſſentiant, prorſus inutiles, & vanae cenſendae ſint. Medendi methodus dividi ſolet in univerſalem, & particularem. Dicitur methodus univerſalis, quae regulas in univerſum praeſcribit ad omnes morbos ſanandos; particularis ea eſt, quae circa morbos in particulari verſatur. In methodo univerſali certae proponuntur regulae, quae tamquam axiomata habentur. Sic dicitur in univerſum, omnem morbum eſſe tollendum, contraria contrariis debere curari, aliaque hujuſmodi proponuntur, quae parvi ſunt momenti ad medicinam, nam ipſis lipis, & tonſoribus lumine naturae patent, & prorſus inutilia axiomata, vanaque ſunt. Quis enim eſt, qui neſciat, calida frigidis, frigida calidis amoveri? Quis adeò rudis eſt, ut morbum auferendum eſſe non judicet? His accedit, quod methodus medendi ſemper circa particularia verſatur, ex ipſis autem particularibus probè obſervatione notatis, generales deducuntur notiones experientiae congruae, & ad medendum utiles. Exempli gratia, noſtra methodus medendi ſem-

per

per verſatur circa Petrum, Joannem, vel Franciſcum in particulari, attamen in natura humana quaedam ſunt leges, quae ipſi univerſaliter conveniunt, ut cibos concoquere ad nutritionem, excrementa expellere, ſalivam ſpuere, lacrymas effundere, aliaque hujuſmodi, quae exactè in quolibet homine particulari notata, deſerviunt ad regulam generalem efficiendam; ſunt aliae leges ſpeciales naturae in quolibet individuo, quae ipſi adeò peculiariter inhaerent, ut in aliis non reperiantur. Hae igitur leges particulares ad methodum ſpecialem tantùm conducunt, at cognitio aliarum legum naturae univerſalium ad methodum medendi generalem maximè confert.

CAPUT II.

De Indicationibus.

2 INdicatio in Scholis communiter diffinitur: *Comprehenſio rei juvantis, ſimul cum comprehenſione nocentis ſine experientia, & analogiſmo.* Haec diffinitio nedum peſſima eſt, ſed medicinae progreſsibus omninò oppoſita, nam quae comprehenſio rei juvantis, & nocentis eſſe poteſt in Medico ſine experientia, & analogiſmo, cum potius omnia quae Medicus in exercitio artis ſolidè cognoſcit, ab experientia neceſſario manare debeant? Imò ſi tota praxis, quoad curationem attinet morborum, in indicationibus rectè inſtituendis innititur, quid quaeſo diſtinguet Medicum juvenem à ſene, expertum ab inexperto? Certè, ſi ea diffinitio valet, Medicus experientia deſtitutus indicationes aequa rectitudine inſtituet, ac Medicus longa annorum ſerie in artis exercitio verſatus, quo nihil poteſt abſurdius excogitari. Accedit, quod quaecumque ab Hippocrate dicta ſunt, & ſolidis experimentis ſtabilita, in Medica arte prorſus inutilia forent ad indicationes rectè dirigendas, ſi indicatio experientiam excludere debeat. Concludendum igitur eſt, indicationis ideam, quae in propoſita diffinitione comprehenditur, eſſe falſam, verae medicinae adverſam, ipſiuſque progreſsibus op-

oppoſitam. Quid tamen Medicos impulerit, ut eam in Scholis fere communi conſenſu acceperint, paucis attingam. Indicatio à Graecis *Endeixis* dicitur, cujus vocis nec mentio quidem fit in univerſis magni Hippocratis operibus, neque de indicationibus ulla mentio *habetur* in Medicis Graecis Galeno antiquioribus. Galenus vero, magni ingenii vir, cum Romam temporibus Adriani appuliſſet, & Medicorum tunc in Urbe aeterna degentium ſibi invidiam comparaſſet, ſumma gloriae cupiditate inductus, adverſus eos ſtrenue pugnare coepit. Cum vero per illud tempus Medici fere omnes (paucis methodicis exceptis) experientiam pro fundamento Medicinae haberent, idque negare non poſſet Galenus, modum ſibi finxit, quo Medicos tunc vigentes oppugnaret, invenitque novam indicationum doctrinam, ipſis prorſus incognitam. Intendit igitur Galenus Medicum debere comprehendere res juvantes, atque nocentes in morbis per meram Philoſophiam, ſecluſa omni experientia. Sic ſtatuit lumine naturae conſtare axioma illud: omnem morbum eſſe tollendum, ſeu poſtulare ſui ablationem, ſicut & contraria contrariis eſſe tollenda, calida frigidis, & frigida calidis eſſe oppugnanda, aliaque hujuſmodi in antecedenti capite propoſita. Sed quid inſulſius excogitari poteſt? Nam haec omnia, quae Galenus per meram Philoſophiam vult adipiſci, certè per ſolam experientiam homini innoteſcunt; nam unde ſcirent unquam homines, contraria contrariis, & frigida calidis eſſe tollenda, niſi id experiundo didiciſſent? Neque ignem urere, neque aquam infrigidare unquam noviſſent, niſi ipſis per varia tentata experimenta notum eſſet? Igitur ea, quae Galenus axiomata vocat Philoſophica, regulae ſunt experimentales, ab experientia ſcilicet univerſali, conſtanti, perpetua, & immutabili, deductae. Et quid utilitatis, quaeſo, nobis adducerent haec axiomata, etiam ſi eſſent philoſophica, cum circa res juvantes, & nocentes in morbis particularibus nihil edoceant? Qui igitur Galeni librum legere voluerit *de optima ſecta ad Thraſibulum*, & libros *Methodi Medendi ad Hieronem*, & libellum *de Praecognitione ad Poſthumum*, facile cognoſcet, Galenum non ex

ani-

animi ſententia, neque veritatis amore impulſum, eam tradidiſſe doctrinam de indicationibus tam longè diſcuſſam, ſed potius novitatis, & gloriae impetu eam tractationem compoſuiſſe. Igitur indicatio, prout Tyronum inſtructioni congruit, diffinienda eſt: *Comprehenſio rei juvantis, ſimul cum comprehenſione nocentis, ab experientia, & ratiocinio.* Fundamentum verae indicationis debet eſſe experientia, & ratiocinium cum experientia conjunctum. Igitur Tyrones, ad indicationes recte inſtituendas, ante omnia morbum debent agnoſcere, ipſius cauſam quantum fieri poſsit inquirere, aegrotantis naturam, temperamentum, mores, actiones attentè obſervare, anni conſtitutionem, aetatem patientis, ejuſque conſuetudines inquirere, hiſque omnibus per experimenta ſedulò inſtituta animadverſis, tum demum indicationes recte inſtituent, atque adeò quid juvare, quid nocere aegro poſsit, optimè invenient. Hinc deducitur, ratiocinium requiſitum ad indicationem non debere eſſe Philoſophicum, ſed experimentale, hoc eſt, non debere inniti principiis Philoſophicis, ſed fundamentis ab experientia deductis, quemadmodum longè explicuimus in Praefatione ad Librum Prognoſticorum Hippocratis, quam Tyronibus legendam, ſi per otium liceat, maxime commendamus.

3 Quod ad differentias indicationum attinet, mihi credant Tyrones, Galeni aſſeclas in his afferendis nimis longos eſſe, cum revera quaecumque de his tradunt, nimis generalia ſint, & praxeos exercitio prorſus inutilia. Quid enim, quaeſo, conferre poteſt, agnoſcere indicationem aliam eſſe genericam, aliam ſpecificam, aliam conſervatoriam, aliam curativam, caeteraque hujuſmodi à Senerto, ejuſque tranſcriptore Riverio tam longè diſcuſſa? Quid etiam ſibi volunt ea, quae de indicantibus, eorumque conditionibus, & ea omnia quae de indicatis, indicantibus, & contra coindicantibus, ab ipſis auctoribus traduntur, quam tempus, rem pretioſiſsimam, inutiliter conſumere? Ea igitur Tyrones prorſus ejiciant, ipſaque, autument, verba eſſe otioſorum ſenum ad imperitos juvenes. Igitur una tantum eſt indicationis idea, ſcilicet cognitio rei, quae juvare poteſt ad ſalutem, tum conſervandam,

tum

tum adquirendam. Haec cognitio ſemper verſatur circa particularia, quia experimenta, quibus innititur, ex rebus particularibus ſemper deducuntur, ſcilicet ex morbo determinato, ex tempore anni certo, ex ſubjecto particulari, &c. Quod ſi in mente Medici cognitio adſit applicata multitudini hominum, ea certè ex obſervationibus particularibus confiata eſt. Si vero in praxi quaedam occurrant facienda, quae inter ſe videantur opponi, tunc urgentiori ſuccurrendum eſſe, re minus urgenti non neglecta, quantum fieri poſsit, ipſa ratio naturalis apertiſsimè dictat. Exempli gratia, ſit aeger difficultate reſpirandi adeò correptus, ut fere ſuffocari videatur, ſimulque languore ventriculi adeò maximè laboret, ut à quacumque evacuatione pronus ſit in ſyncopem. Tunc Medicus debet ſanguinem mittere, ut imminentem ſuffocationem avertat, quae urgentiſsima eſt, ſimulque languorem ventriculi non ſpernat in mittendo ſanguine, quod efficiet paucam ſanguinis quantitatem educendo, ipſamque evacuationem alternis vicibus, & roboratis viribus, ſi opus fuerit, repetendo. Cum vero quaecumque res, ut benè diſpoſitae ſint, debitum ordinem in agendo poſtulent, proinde in morborum curationibus ſedulò attendere oportet, quid prius, quid poſterius agendum conveniat, & quaenam operatio antecedens, quaenam conſequens eſſe debeat. Exempli gratia, ſi ſimul adſit neceſsitas mittendi ſanguinem & expurgandi humores, prius debet Medicus ſanguinem mittere, quam expurgare. Haec omnia, aliaque hujuſmodi, quae in praxi frequenter occurrunt, ipſa experientia duce cognoſcuntur, nec aliter umquam agnoſci poſſunt; unde omnis doctrina de indicationibus nuſquam eſt à rationali experientia ſeparanda

CAPUT III.

De Remediorum Viribus, & Scopis.

4 ANte omnia, oportet, Tyrones animadvertant, omnium remediorum maximum ad tollendos morbos esse ipsam *Naturam*, quae vera est, ex Hippocrate, aegritudinum medicatrix; eo enim ordine & constitutione à Sapientissimo Creatore constituta est, ut in seipsa habeat principia requisita ad actionem sui conservatricem eliciendam; cum verò conservatio fieri nequeat absque expulsione illarum rerum, quae ipsam destruere valent, idcirco natura in seipsa continet eam vim, quae ad morbos, eorumque causas tollendas requiritur. Inde sequitur, ut ipsa natura vias habeat sibi proprias, nobis autem incognitas, ad rerum noxiarum expulsionem moliendam: habet etiam motus sibi congruos, & speciales ad quemcumque morbum eliminandum. Igitur maximum remedium erit naturam relinquere, ut juxta leges sibi proprias morborum curationem aggrediatur, ipsius motus minimè turbare, ejus actiones salutiferas, quantum fieri possit, promovere, neque eam umquam à suo tramite divertere. Hac methodo usi sunt omnes Medicinae Principes in aegris tractandis adeò, ut nullum umquam medicamentum praescripserint, quin prius naturae operibus fovendis aptum esse cognoverint, probè scientes, nullum medicamentum ex se vim habere aliquam, nisi à natura regatur, vel ad opera congrua dirigatur. Hoc esse maximum in Medicina arcanum, scilicet naturam per omnia sequi & imitari, plures viri docti non immeritò statuerunt, eaque semper Tyronibus via est calcanda, ut maximam curationis spem in naturae viribus, ipsiusque operationibus rectè institutis, collocare intendant.

5 Quod ad medicamentorum vires attinet, scire portet, eam Medicinae partem, quae de his tractat, & Pharmaceutica dicitur, esse fallaciſsimam, & nugis ac erroribus plenam,

nam, ſolent enim Auctores ſua medicamina tantis extollere laudibus, ut ſi ipſis credere fas eſſet, liceret etiam credere homines numquam eſſe morituros; propterea caveant Tyrones, ne nimium fidant remediorum virtutibus, ſed ea tantum ſeligant, quae uſu, & experientia conſtiterit, eas habere vires, quae ipſis tribuuntur. Ex hac medicamentorum incertitudine natum eſt, ut aliqui viri doctiſsimi, qui prius fuerunt fictis remediorum virtutibus delusi, tum demum ea tantum elegerint, quae experientia ſuffragante, utilia eſſe cognoverint. Conſuli poſſunt hac de re Hoffmanus, Junquerus, Hecquetus, Charteuſerius, & noviſsimè Teſſari, & Lieutaud qui in medicamentis eligendis ſevera critice, multiſque cautelis adhibitis, proceſſere. Scire etiam Tyrones oportet, medicamenta ſimplicia, caeteris paribus, compoſitis ſemper eſſe praeferenda, quippè natura ſimpliciſsimè ſemper operatur: & inter compoſita ea praeferri debent, quae minus compoſita ſint. Denique ſcire neceſsè eſt, medicamenta non operari tantùm per calorem, & frigiditatem, aliaſque qualitates, quemadmodum Galenici, & Arabes crediderunt: neque per ſalia, & olea, aliaque chymicorum principia, ut ipſi intendunt, ſed etiam per quamdam vim ſpecialem, unicuique rei propriam, & ingenitam, & à Creatore Sapientiſsimo communicatam, qua effectus ſuos in humano corpore exercent, neque alia via, niſi per uſum & experientiam haec vis poteſt nobis eſſe nota. Igitur in hac compendioſa Pharmacia, quam Tyronibus tradere inſtituimus, ea proponemus remedia, quae in Auctoribus reperiuntur, ut de his Tyrones notitiam habeant; *attamen non omnia aeque probamus, ſed pauca tantum*, eaque indicabimus, ut ipſis magis fidere poſsint.

6 Scopus remediorum eſt finis ille, quem Medicus ſibi proponit in eorum adminiſtratione. Hic finis nullo modo conſequi poteſt, niſi quatuor hae obſerventur conditiones, ſcilicet quantitas, qualitas, occaſio, & utendi modus. 1. Quantitas, ſeu doſis medicamentorum, cum certò in quolibet homine ſtatui non poſsit, longo practicorum ſtudio, ac ſedula, maturaque obſervatione ſolummodo poteſt adipiſci; id

tamen certum eſt, medicamenta in minima doſi exhibita eſſe inefficacia, quia eorum virtus morbi virtutem non ſuperat; in immodica doſi praeſcripta eſſe noxia, quia & morbi, & naturae limites excedunt, quare debent moderata doſi praeſcribi, ut ſint utilia. 2. Advertenda eſt in medicamentorum praeſcriptione eorumdem natura, an ſcilicet ſint acria, ſubtilia, ſpirituoſa, anodina, calida, frigida, &c. 3. Sedulò inquirenda eſt debita praeſcribendorum remediorum occaſio, ſi enim tempore debito non propinentur, vel inutilia, vel noxia fient, proindè occaſionem utpote velociſsimam, & nimis fugacem omni artis ingenio quaerant Tyrones, aliter enim malè conſulent nomini ſuo, & aegrorum ſaluti; ideò Hipp. 1. Aph. ſent. 1. *Occaſio praeceps.* 4. Attentè inſpiciendus eſt modus utendi, an ſcilicet praeſcribenda ſint medicamenta in forma ſolida, liquida, apozematis, aut potionis, &c. ſi enim medicamenta rectè non praeſcribantur in ſchedulis, praeterquamquod aegris fient incommoda, peritis Pharmacopeis riſui erunt. 5. Videndum eſt, ut quantum poſſibile ſit, ea preſcribantur medicamenta, quae aegris fuerint gratiora; tenetur namque Medicus, ut ait Celſus, aegros curare citò, tutò, & jucundè. 6. Antequam medicamenta exhibeantur, omni cura inveſtiganda aegrotantis natura, temperamentum, aetas, anni tempus, morbus ejuſque cauſae tum occaſionales, cum efficientes, & minima quaecumque aegris prius dederint fomitem ad aegrotandum, & denuo ipſis jam morbo afflictis ſupervenerint, aliter enim mille committentur errores in remediorum adminiſtratione; minima enim in morbis, quantumvis minima, ſemper in Medicorum contemplatione ſunt maxima, ac ex rebus ita minimis baſis curationis quandoque deſumitur.

CA-

CAPUT IV.

De Alterantibus medicamentis.

7 ALterantia medicamenta ſunt quae abſque humorum evacuatione vitia morboſa emmendant. Cum vero cauſae morborum occaſionales, obſtructio nempe & diatheſis in vitia morboſa tranſeant, conſequens eſt ut alterantia medicamina ea debeant corrigere, dum morbum in partibus ſolidis neceſſario haerentem ſimul avertere intendunt. Jam vero cum vitia morboſa obſtructionis & diatheſis, ſimulque morborum ab his naſcentium plurima ſint, ut in pathologia monſtravimus, neceſſe etiam eſt alterantium medicaminum genera plura eſſe debere; ſed in Tyronum gratiam commode in tres claſſes diſtribuuntur, cum ſcilicet corrigunt pituitoſum vitium, bilioſum, melancholicum.

8 Vitium in obſtructionibus maximè familiare eſt mia craſsities, lentor, & coagulatio, quando minimae ſcilicet humorum particulae adinvicem adeò cohaerent, & conſociantur, ut in grumos veluti videantur abire; magis, vel minus, prout fuerit major, vel minor coagulatio. Medicamenta ergò diſſolventia pituitam craſſam, ut creditur, attenuantia ſunt radices quinque aperitivae, enulae, brioniae, eringii, valerianae. Folia centaur. minor. abſinth. menth. ſalv. camaedrios; gummi ammoniacum, lignum ſanctum, radix ſchinae, ſalſaparrill. item ſales fixi praedictarum plantarum, ut ſal abſinth. centaur. minor. gentianae, geniſt. Prodeſt etiam camphora, & ex ea parata remedia ſpiritus ſuccin. ſal. ammoniac. Ex regno animali ſpirit. c. c. urinae, ſal volatile viperarum, c. c. ac denique omnia diaphoretica de quibus infra.

9 Haec medicamenta (adhibitis ſpecificis infra proponendis) conveniunt in apoplexia à craſsitie, & lentore pituitae, in catharro ſuffocativo ab eadem cauſa, in aſthmate, pleuritide à coagulatione & ſtagnatione lymphae. Conveniunt pa-

pariter in febribus malignis cum coagulatione, in febribus lymphaticis, meſſentericis, cachexia, chloroſi, omnibuſque morbis in quibus indicatio adeſt attenuandi, diſſolvendi, liquandi, & liberum motum humoribus tribuendi. Proinde ſequentes formulae ſunt ad dictos uſus accomodatae.

R. *Raſur. ligni ſanct.* ʒ. *ſ. rad. ſchin. ſalſ. parrill. anà.* ʒ. j. *infund. in aquae font.* ℔. iiij. *ſtent in infuſione per* 24. *horas ſub cineribus calidis, poſtea coque ad mediae partis conſumptionem.*

R. *Rad. enul. apii. petroſel. anà.* ʒ. j. *brioniae*, ʒ. *ſ. fol. abſinth. manip.* j. *cortic. citr.* ʒ. *ſ. cinam.* ʒ. iij. *fiat decoct. ab* ℔. j. *ſ. pro tribus doſibus, cuilibet adde ſalis tart.* ʒ. j. *ſal. ammon. gr.* iij. *me.*

R. *Pulv. c. c. pp. antimon. diaph. anà.* ℈. j. *ſal volat. c. c. gr.* vj. *me. fiat pulvis ſummend. duabus doſibus.*

R. *Gummi ammon.* ʒ. j. *antimon. diaph.* ℈. *ſ. ſal. ammon. gr.* iij. *fiant pill. pro duabus, aut tribus doſibus.*

10 In horum medicamentorum praeſcriptione videndum eſt, an aeger humoribus craſsis refertus, ſit temperamenti bilioſi, & viſcerum intemperie calida gaudeat, ut noſtro climati familiare eſt, nam ſi ita ſit, dicta humorum craſsities, lentor, & coagulatio non à frigiditate, ut vulgus credit, ſed ab immodico viſcerum, & ſanguinis aeſtu procedunt, nihil enim fluida corporis humani citius coagulat, quam immodicus calor, in quo caſu formulae ſuperius poſitae inutiles ſunt, & noxiae, quia eorum medicamentorum nimis calidorum ratione, calida viſcerum intemperie aucta, pituita in dies magis concreſcit, ac novis morbis producendis fit apta, propterea in eo caſu ad lentorem, & coagulationem lymphae impediendam, diluentibus, & temperantibus eſt utendum.

11 Poſt medicamenta attenuantia, ſequuntur medicamenta coagulantia, incraſſantia diluentia, bilem tenuem (bilis enim craſſa ad melancholiam refertur aut ad ipſam proximè ac-

accedit) praeparantia. Radices acetoſ. gram. tarax. cichor. plantag. Fol. endiv. ſemperv. major. portul. cichorii, acetoſ. Flores violar. roſar. nimph. bugloſ. Hordeum, quatuor ſemina frigida majora, & minora, ſal prunel. ſpirit. ſulphur. ſal. nitr. ſirup. acetoſitat. citri. roſar. violar. endiv. ſuccus limon. aurantior. citri, amigdalata, hordeata, & alia quamplurima ab Auctoribus longè deſcripta, quibus meritò adduntur opiata, & narcotica, quae ritè praeſcripta, bilis fervorem, & ſanguinis diſſolutionem coercent. Ex his ergo medicamentis, plures formulae deduci poſſunt utiles ad febres ardentes, malignas cum diſſolutione, alioſque morbos à bile aeſtuante, indeque nata ſanguinis diſſolutione productos.

R. *Radic. gramin. fragar. cichor. anà.* ʒ. j. *fol. endiv. & portul. anà. manip.* j. 4. *ſemin. frigidor. major. anà.* ʒ. j. *hord. pug.* j. *fiat decoctio ſecundum artem ad* ℔. ij. *pro* iiij. *doſibus, cuilibet adde ſirup. acetoſitat. citr.* ʒ. j. *me.* vel

R. *Radic. fragar. taraxac. acetoſ. anà.* ʒ. j. *fol. ſemperv. major. manip.* j. *flor. cord. & nimph. anà. pug.* j. 4. *ſemin. frig. major. anà.* ʒ. j. *fiat decoct. ad* ℔. ij. *pro* iiij. *doſibus, cuilibet adde ſucci limon.* ʒ. j. *ſacchar. q. ſ.*

R. *Pulv. c. c. p.* ʒ. j. *ſpirit. nitr. gs.* vj. *laud. liq. Sidenh. gs.* ix. *ſirup. de nimphea* ʒ. ij. *aquae hord.* ʒ. iii. *m. pro duabus doſibus.*

R. *Amigd. dulc. excorticatar. & in aqua roſar. prius infuſar. par.* vj. 4. *ſemin. frigid. maj. anà.* ʒ. j. *contundantur in mortario marmoreo, ſenſim affund. aquae hord. q. s. extrahatur emulſio, cui adde ſal. prunel.* ʒ. i. *m.*

12 Licet Tench in cap. *de Emulſionib.* optimè advertat, acida non eſſe emulſionibus miſcenda, quia lacteſcentem ſubſtantiam coagulant, tamen ſalem prunellae ipſe praeſcribit, quia ab eo talis effectus non procedit, imò emulſionibus admixtus

tus ſaepe prodeſt. Hic notandum, nullum in natura rerum inveniri remedium ad bilem temperandam, humores diluendos, febres fugandas, acrimoniam quamcumque corrigendam alioſque id genus uſus praeſtantiſsimos quam aqua ſimpliciſsima affatim, pro virium ratione, ſed methodicè hauſta, eam enim ſeu nive refrigeratam, ſeu naturali frigiditate prout ex fontibus manat largiter aſſumptam incredibili efficacia morbos plurimos abſque aliorum medicamentorum interventu foeliciter depellere experti aſſeveramus.

13 Humorem melancholicum corrigunt, & praeparant, rad. bugl. ering. apii. bruſc. Fol. cetherac, fumar. melyſ. borrag. Cortic. cappar. fraxin. tamariſc. ſambuc. paſſulae, cappar. poma redol. grana kermes, flor. geniſtae, borrag. bugloſ. calendul. camomil: ſirup. de pom. fumar. capill. vener. borrag: ſal tamariſci, fraxini, ſtipit. favar: cremor tart. terra foliat. tartar. vitriolat. tinct. tarta. tartar. nitratus Minſinch. oculi cancr. marg. pp. c. c. uſtum, aliaque abſorbentia, tartarea, & oleoſa, ut oleum eſſentiale juniper. lavendul. cinamom. &c. conferunt etiam martialia ritè praeſcripta.

R. *Sal mart.* ʒ. ij. *infund. & coque in* ℔. ij. *aquae ad conſumpt.* 3. *partis. Doſis* ʒ. ij. *ſingulis diebus matutinis horis.*

14 Interim ſedulò notandum an melancholia, ut continuò fit, uſta cum viſcerum calida intemperie jungatur, ſub eo enim caſu nec conferunt martialia, nec oleoſa ſuperius adducta, ſed potius diluentia, temperantia, & abſorbentia; quare ſpecificè proſunt ſerum lactis, imò & lac aſininum, c. c. calcinatum, mater. perlar. cryſtal. mont. aliaque teſtacea, & abſorbentia; idcircò cum in ſcorbuticis, hypochondriacis, ac hiſtericis talis humor redundet cum intemperie viſcerum calida, eis proinde conveniunt, ac mirificè proſunt. Aliqua hic expedit praecepta practica in medium adducere. Primum: nullum eſſe humorem in humano corpo-

pore abſolutè frigidum, quippè omnes viribus vitalibus generantur, quae ſemper conjunctum habent calorem; hinc humores viſcidi, & craſsi, quos pituitoſos appellant, vel aliquid calidi admixtum habent, vel à tali viſcerum diſpoſitione generantur, quae cum immodico calore conjungitur. Hac de cauſa olea, quae chimici eſſentialia vocant, prorſus ableganda ſunt in praxi medica, neque umquam praeſcribenda, niſi in caſibus forte deſperatis, & in minima doſi. Similiter, decoctum lignorum ſupra praeſcriptum, in morbo gallico, & in affectibus arthriticis, nunc malè rheumaticis appellatis, non niſi magna cautela praeſcribendum, quia calidum eſt, & humores nimium agitat, unde nedum craſſos non attenuat, ſed & craſsiores reddit. Praeſcribi igitur tantum debet, ſedata prius inflammatione, & calore temperato per venae ſectiones, per uſum lactis, & medicamentorum diluentium. Haec omnia intelligenda etiam ſunt de remediis, quae diaphoretica dicuntur, & inter attenuantia recenſentur, quippè numquam, niſi cautelis appoſitis praeſcribenda. Secundum monitum eſt, alterantia medicamenta, quae etiam praeparantia dicuntur, alia eſſe generica, illa ſcilicèt, quae ſuperius propoſuimus: alia ſpecifica, ſeu propria, quae nedum generale humorum vitium corrigunt, ſed ſpeciale. Scire igitur convenit, dum humores calefiunt, & inflammantur, non uno, eodemque modo id fieri, ſed aliter in eryſipelate, aliter in phlegmone, aliter in herpete, multò aliter in cancro, & ſic de aliis. Similiter bilis uno modo peccat in ictero, alio in febre ardenti, diverſo ab his in cholera morbo, & ſic de reliquis. Pariter, humor pituitoſus habet in leucophlegmatia diverſam indolem ab humore pituitoſo chloroſis, & ſic de aliis. Humores melancholici in ſcorbuto ſpecialem habent naturam, nulli alteri morbo propriam; at diverſa eſt indoles ejuſdem humoris ad producendam maniam ab illa, quae melancholiam inducit. Oportet ergo ut Tyrones generalibus alterantibus non acquieſcant, ſed ipſis ſemper miſceant ſpecialia. Exempli gratia, in ſcorbuto, qui morbus calidus eſt, conveniunt medicamenta, quae pro bile praeparanda adduximus, ipſis tamen miſcenda ſunt anti-

ſcorbutica, naſturtium ſcilicèt aquaticum, becabunga, &c. Tertium monitum eſt, ut alterantia ſemper praecedant evacuantia, quippè humores prius concoquere oportet, & deinde à corpore eliminare, juxta naturae legem, quae eo modo ſemper operatur in commodum aegrotantium. Denique advertere oportet, curationes chronicorum morborum alterantibus potius quam purgantibus eſſe abſolvendas, quippè natura tales morbos, magis humorum correctione, quam excretione curat; & in horum medicaminum praeſcriptione, leviora, & dulciora caeteris ſunt ſemper praeferenda, atque adeò martialia, & reliqua medicamenta ex metallis, & mineralibus deprompta poſt uſum aliorum medicamentorum fibras laxantium, humores emollientium, & aperientium vias, praeſcribi ſolent. Sed Tyrones monere volumus numquam niſi in extremis morbis metallica remedia aegris exhibenda ſunt enim à natura prorſus aliena neque vi ulla poſſunt ſuperari ejuſque conſtitutioni accommodari, quin potius ſi aſſumpta non expellantur, tamquam corpora noxia multas atque periculoſas turbas excitant. Ferrum omnium metallorum mitiſsimum niſi debitis cautelis exhibeatur ſaepe nocet. Igitur remedia alterantia ex metallis deprompta non omnino è foro Medico ableganda, ſed non niſi urgentibus caſibus magniſque cautelis ſunt praeſcribenda, neque Chimicorum & Pharmacopolarum promiſsis hac de re facilè fidendum.

CAPUT V.

De Cephalicis.

15 ALterantia ſpecifica quae, ut jam diximus, non communia vitia morboſa ſed particularia corrigunt, nomina accipiunt aut à partibus corporis, quorum morboſas affectiones emendare creduntur, aut ex ſpeciali vi qua humores alterando, naturae opitulantur. Hinc *cephalica*, quae capiti, *hepatica* jecori, hyſterica utero medentur, &c. nominari conſueverunt. Nimis anxiè inquirunt

ſyſ-

ſyſtematum amatores qua vi talia medicamenta operantur, atque in nulla alia (re magis nugantur, qui naturam violenter extorquere & ad ſenſus ſuos trahere laborant. Sed nobis ſufficit, per obſervationes fideles conſtitiſſe tale medicamentum talem virtutem ad tollendos morbos habere, ut ſub his morbis eo medicamine naturam juvemus. Quis hactenus ſcit quomodo, qua vi Kina febres tollit? Nemo utique, cum omnia quae hac de re ſcripta ſunt partim inania, partim ad futilia deliramenta ſint traducenda. Sufficit nobis ſcire Kinam ritè praeſcriptam tertianas febres certo abigere, ut aegris eo morbo affectis ſuccurramus. Non improbamus analyſes medicamentorum, nec experimenta quae à Botanicis & aliis naturae ſcrutatoribus ad vires medicamentorum indagandas in medium adducuntur. Laudamus labores, ſed volumus ne facilè quae in his vident homines, ſtatim ad corpus humanum transferant, multi enim hìc committuntur errores, ut ea omnia, ſecluſis practicis obſervationibus, quae ſunt totius verae medicinae cardo & fundamentum, in pompam potius, aut hiſtoriae naturalis incrementum, quam veram aegrorum ſanationem abeant. Capiti ergo prodeſſe creduntur certa medicamentorum genera, aut ob ſalia volatilia parteſve ſubtiles & ſpirituoſas quibus conſtituuntur, aut occulta vi cerebro ſpecialiter commoda. Talia ſunt.

Pulv. marchion. à ℈. j. *ad* ʒ. j. *pulv. de gutteta ſine aromatib. à* ℈. j. *ad* ʒ. j. *pulv. ungul. alces, cranii human. & rad. valerian. à* ℈. j. *ad* ʒ. j. *ſpirit. fulig. à gs.* vj. *ad* ℈. j. *aqua meliſſ. ſpirit. à* ℈. j. *ad* ℈. ij. *ſal volat. viper. c. c. cran. human. à gr.* iiij. *ad* x. *tinct. ſuccin. à gs.* vj. *ad* ℈. j. *elix. proprietat. Helmont. à gs.* vj. *ad* ℈. ſ. *ſpirit. volat. ſal. ammon. à gs.* vj. *ad* ℈. j. *ſpirit. corn. Cerv. ſuccinat. à gs.* vi. *ad* ℈. j. *oleum eſſential. cariophill. lavendul. ror. marin. à gs.* iiij. *ad* viij. *ſpirit. ſinapi, à gs.* vj. *ad* ℈. j. *ſirup. flor. tunicae ab* ℥. ſ. *ad* ℥. j. *ſirup. betonic. peoniae ab* ℥. j. *ad* ℥. ij. *aqua flor. tiliae ab* ℥. j.

ad ʒ. ij. *aqua lilior. conval. ab* ʒ. j. *ad* ʒ. ij. *ſterc. pavon. à* ʒ. *ſ. ad* ʒ. j. *cinabar. nativ. ſpirit. ſanguin. human. à* ℈. *ſ. ad* ℈. j. *aqua hirund. ab* ʒ. *ſ. ad* ʒ. j. *guttae anglicae à gutt.* 4. *ad* 15. *& aureae la Mothe à guttis* 6. *ad* 30. *aqua theriacal. à* ℈. j. *ad* ℈. ij.

R. *Spirit. c. c. ſuccinat.* ℈. j. *aquae theriacal.* ʒ. j. *eſſent. caſtor. gs.* vj. *ſirup. peon.* ʒ. j. *aquae flor. til.* ʒ. ij. *m.*

R. *Spirit. fulig. & ſang. human. anà* ℈. *ſ. tinct. ſuccin. gs.* vj. *ſal. volat. cran. human. gr.* iiij. *ſirup. betonic.* ʒ. j. *aquae ſalv.* ʒ. ij. *m.*

R. *Pulv. march.* ʒ. j. *ſpirit. ſal. ammon. gs.* xij. *eſſent. caſtor. gs.* iiij. *ſirup. peon.* ʒ. j. *aquae flor. til.* ʒ. ij. *m.*

Haec omnia medicamenta conferunt in paroxiſmo epilepſiae, ſicut in apoplexia; ad utriuſque tamen praecautionem

R. *Conſerv. flor. anth.* ʒ. ij. *conf. alcherm. incompl.* ʒ. *ſ. ſuccin. alb. pp.* ℈. ij. *pulv. rad. zedoar. & lign. viſc. quercini anà* ʒ. *ſ. ſpirit. bux.* ℈. *ſ. cum ſirup. cort. citr. fiat elect. doſis* ʒ. j. *mane, & veſperi, accedente potiſſimum plenilunio.*

R. *Stercor. pavon. & ung. alc. pulv. anà* ʒ. iij. *cinabar. nativ. gr.* iv. *ſacch. albi q. ſ. fiat pulv. praeſcribatur cum aqua ſalv. aut decoct. the, vel caphe.* Vel

R. *Cortic. peruv.* ʒ. vj. *radic. ſerpent. virg. pulv.* ʒ. ij. *cum ſ. q. ſirup. peoniae fiat elect.*

Hoc electuarium caeteris anteponendum remediis in praeſervatione epilepſiae judicat Thomas Fuller, atque per duos, vel tres menſes vult eſſe continuandum. Doſis ſit ʒ. i. mane, & veſperi in adultis, in pueris ʒ. ſ.

16 Medicamenta ſupra poſita utilia cenſentur omnibus mor-

morbis capitis à viscida, concretaque lympha procedentibus, unde prodesse dicuntur in doloribus capitis à causa frigida, ut vocant, in lethargo, catalepsi, comate, aliisque affectibus soporosis, item in vertigine, epilepsia, & aliis. Sed fidendum non est remediis ex craneo humano desumptis, craneum enim hominum in sarcophagis, non in officinis prostare debet. Nunc circa medicamenta cephalica dicam quod sentio. Quae superius adduximus medicamina, spiritus agitando atque movendo extemporaneam interdum opem adferre non dubitamus, sed speciali vi caput respicere minimè credimus, imò & saepius assumpta nocere experti asseveramus, cum caput perpetuo calorem nimium foveat, tum ob igneam vim spirituum cerebri, cum maximè quia ob valida ossium integumenta parum diffiatur. Igitur capiti succurrendum juxta vitia spirituum in eo tamquam uberrimo fonte existentium. Si enim nimia sit eorum copia, orgasmus, agitatio, venae sectiones non quidem larga manu celebratae, pedum balneationes, ciborum abstinentia, exercitationes, aquae frigidae usus, & alia id genus curationem absolvunt. Purgationes per cathartica semper noxiae deprehenduntur, sunt enim omnia cathartica capiti infensa, sed per os, nares, aures, aut palatum expurgatio non vi, sed lente & suaviter instituta mirificè cerebrum ab excrementorum copia liberat. Contra: si spirituum penuria, ataxia, imbecillitas adsint, jusculà restaurantia, quies, somnus pro remedio sunt. Dum vero diathesis spiritus vitiat, medicamenta eam corrigentia praescribenda, ut si sit scorbutica, atrabiliaris, venerea, herpetica, &c. propriis quaecumque auxiliis sit oppugnanda. In universum omnibus capitis aegritudinibus confert locum mutare, aerem frigidum purum, non inquinatum inspirare, animi pathemata fugere, ruri ad tempus degere, animum quantum liceat recreare, cibos potusque ad mensuram cuique naturae congruam assumere. Qui haec omnia pro re nata dirigere sciet, veris cephalicis aegros juvabit.

CAPUT VI.

De Expectorantibus.

17 EXpectorantia ſunt, quae materiam morboſam in pectore haerentem per laringem expellunt. Alia ſunt calida in aſthmate, orthophnoea, tuſsi, convenientia; alia frigida in calidis pectoris morbis opportuna.

Medicamenta *morbis frigidis pectoris utilia ſunt oleum eſſential. aniſ. ad gs.* vj. *tinct. ſulph. ad gs.* viij. *lac, aut magiſterium ſulphuris ad gr.* x. *flor. benjoin. ad gr.* vj. *tinct. ex vitriol. antim. ad gs.* vj. *ſperma cet. ad* ʒ. j. *gumm. ammon. ad* ʒ. j. *balſam. ſulph. aniſat. ad gs.* viij. *balſam. ſulph. therebent. ad* ϑ. ſ. *decoct. fol. tabac. ad* ʒ. j. *mille pedum pp. pulv. ad* ʒ. j. *ſuccus raphan. cum ſacchar. ad* ʒ. ij. *conferunt etiam hyſſopus, tuſilag. marrub. paſſul. ficus pingues, & alia mucilaginoſa: ſirup. tuſilag. viol. jujubar. capill. vener. ad* ʒ. ij. *ſirup. de althaea Fernel. ad* ʒ. j. *ſirup. de peto Quercet. ad* ʒ. ſ. *miſtura camphorata Tachenii, item pill. pectoral. Menſich. & alia ab Auctoribus longè deſcripta.* Tyronibus aliquas proponam formulas, ex dictis medicamentis deductas.

℞. *Gumm. amm. & ſpermat. cet. anà* ϑ. j. *ſumat. in juſculo.*

℞. *Magiſterii ſulphur. gr.* vj. *ſpirit. aniſ.* ϑ. ſ. *ſirup. tuſilag.* ʒ. ij. *aquae hyſſop.* ʒ. iij. *m.*

℞. *Radic. enul.* ʒ. j. *ireos flor.* ʒ. ſ. *fol. marrub. tuſilag. pulmonar. anà manip.* j. *heder. terreſtr. veronic. anà manip.* ſ. *paſſul. expurg.* ʒ. iij. *fiat decoctum pectoral. ad* ℔. ij. *calidè ſorbilletur.*

℞.

R. *Millè ped. num.* 120. *contuſis ſenſim affund. in mortar. aquae puleg.* ʒ. vj. *in liquor. fortiter expreſſo diſſolv. gumm. amm.* ʒ. iij. *colatur. adde tinct. benzoin.* ʒ. ij. *m. Doſis cochlear.* j. *cum hauſt. decoct. praeſcript.*

R. *Gumm. ammon. colat.* ʒ. j. *croc. flor. benzoin. anà* ʒ. *ſ. ol. ror. marin. gs.* vj. *balſam. peruvian. q. s. fiant pill. Doſis* iij. *ter in die.*

R. *Millep. pp.* ʒ. iij. *gumm. ammon. colat.* ʒ. j. *flor. benzoin.* ʒ. *ſ. pulv. croc. balſam. peruvian. anà gr.* xv. *balſam. ſulphur. q. s. fiant pillulae, & dentur* iij. *ter in die.*

18 Multa alia adſunt apud Auctores medicamenta pectoralia, quae hic, ne nimis longus ſim, non appono. Pillulae balſamic. Ricard. Morton. pill. antiaſthmat. Palacios, Lohoch Lucatell. Decoct. Gall. veter. ex Riverio, & alia quae in Auctoribus ad nauſeam offeruntur.

19 Nota ſirupos pectorales ut violar. tuſilag. & alios in uſu eſſe apud hodiernos Medicos ad ſenſim, lambendum, unde lambitivi appellantur, ad quem finem utuntur mulierculae tabellis ſaccharatis, ſaccharo roſat. & aliis hujuſmodi, quibus aegros ſaginant, & inferciunt, non curant; quia tamen clariſsimos in medicina viros de hoc diſſentientes video, eorum idcirco verba apponam, ut quiſque in praxi diſtinguat, quid verum ſit, aut falſum, noxium aut opportunum.

20 Alii judicant ſaccharata utilia eſſe pectoris morbis, ſic Quercetanus de ſaccharo ait, eſſe de ſpecie ſalis ad diſſolvendum apti, ipſumque propterea commendat in calculis infringendis, in quam opinionem accedit Heredia tract. *de Calcul. ren.* Similiter Auctor tractatus *de Viribus medicament.* cap. de Expectorantib. de ſaccharo ait: *Atque ſaccharum ſaltem in pauciori doſi, licet enim hoc à quibuſdam improbetur, certum tamen eſt, illud eſſe ſal rectificatum, nec balſamo noſtro naturali adeò pernicioſum, ut nonnulli opinantur.* Contra autem Joannes Doleus in Enciclopaedia Medica, cap. de

Phthiſ.

Phthiſ. de ſaccharatis loquens ait: *Sunt in cortice mel, & in nucleo fel.* De Leboe Silvius vehementer reprehendit Medicos qui aegros, dum de tuſsi conquaeruntur, conſerva roſarum, & ſaccharatis inferciunt, quibus ut ipſe ait, non modo non abſtergitur, & ſanatur pulmo, ſed potius pituita aucta, viſcida materia in dies glutinoſior evadit.

21 Tandem „ in inſula Sancti Thomae (ait Fuller) ſub „ aequatore molunt cannas ſaccharinas, & quod ſupereſt ex„ preſſo ſucco objiciunt porcis, qui indè in tam miram te„ neritudinem pingueſcunt, ut de bonitate cum capis hiſpa„ nicis certent, denturque ventriculis invalidis. Unde colli„ gere eſt, quod ſi ſaccharum, ea vi & facultate polleat, „ ut ſuillarem, omnium ferè carnium, tenaciſsimam, ad „ tantam teneritudinem adducat, eadem prorſus ratione cor„ ruptelam, & ſphacelum in pulmonibus accelerabit, cum „ ipſi ſint mollis, ac ſpongioſae ſubſtantiae, & ſtipticis, *adſ„ tringentibuſque conſerventur.*“ Haec ille. Nos tamen Tyrones monemus ut *ne quid nimis*, ac mediam in hiſce viam pergant, ſirupi enim lambitivi, aliaque hujuſmodi ſaccharata moderatè ſumpta in morbis pectoris proſunt, quatenus ſuavi illo rore fibras laringis madefaciendo, tuſsim, & expectorationem moliuntur. Ut tamen dulcia non adeò noxia eſſe, ut plures ſtatuunt, quiſque cognoſcere poſsit, videre ſufficiat diſſertationem *de ſacchari uſu* in ſupplementis ad Hoffmanum appoſitam.

22 In tuſsi, & repletione pulmonum à materia acri, ut in deſtillationibus ſalſis, & aliis confert ſequens decoctum.

R. *Hord. mund. rad. alth. ſimph. anà* ʒ.ij. *Glyzirriſae raſae, & contuſae, jujubar. paſſul. purgat. anà* ʒ. *ſ. fol. tuſsilag. capill. vener. ſcabioſ. anà manip.* j. *coq. in aquae commun.* ℔.iv. *ad tertiae partis conſumptionem.*

R. *Amig. dulc. excorticat. pari.* vj. *ſemin.* 4. *frigidor. major. anà* ʒ. j. *ſemin. alth. & papaver. alb. anà* ʒ. j. *ſemin. bombac.* ʒ.ij. *cum aqua hord. extrahatur emulſio.*

Poſt-

23 Postquam his medicamentis materia crassa in pectore contenta satis evacuata est, ad opiata tamquam ad sacram anchoram confugiendum, sola enim haec destillationes similes foeliciter curant.

R. *Succ. liquirit.* ʒ. j. *mirrh.* ʒ. *ſ. laud. opiat. gr. decem, fiant pil. quadraginta, ex quibus ſumantur quatuor, ſingulis noctibus, hora ſomni.*

R. *Succ. cinogloſ.* ℔. j. *ſ. coque dum inclareſcat, & cum ſacc. alb.* ℔. j. *ſ. fiat ſirupus. Ex eo ſumantur duo cochlearia bis in die, optimè enim fluxiones acres ſedare ſolet.*

24 Multi timent laudano opiato, ac cinagloſſo propter vim ſoporiferam, ipſe tamen dicam cum Sylvio: *Vellem non eſſe Medicus, ſi opiata non haberem.* Si ergo in moderata doſi praeſcribantur, vix eis par eſt in medicina remedium, de quo videatur Etmull. *de vi opii diaphoret.*

In ſputo ſanguinis conferunt *ſal ſaturn. à gr.* ij. *ad* iiij. *croc. mart. adſtring. ad* ʒ. j. *coral. pp. ad* ʒ. j. *tinct. lapid. hemat. ad gs.* 20. *aqua arterial. ad* ℈. j. *tinct. coral. ad* ℈. j. *ſirup. coral. ad* ℥. j. *aqua urtic. plantag. roſar. ad* ℥. iiij. *ſirup. de ſimph. Fernel. ad* ℥. j. *ſirup. mirtill. ad* ℥. ij. *quibus omnibus longè antecellit cortex peruv. ſemel, & iterum exhibitus experimento Richard. Morton. ac decoct. contra ſputum ſanguin. Junken. ſicut etiam decoctum vulnerarium, quod in omni ſanguinis eruptione eſt praeſtantiſsimum.* Licet herbae vulner. plures ab aliquibus aſsignentur, ſequentes tamen caeteris praeſtant: *Alchimil. ſanicul. veronica, Pirola, virga aur. angelic. flor. hiperic. Eodem ergo modo fit harum decoctum, ſicut herbae the, leve namque harum herbarum pugillum in* ℥. viij. *aut* x. *aquae communis pa-*

rum coquitur, ac poſtmodnm ſorbillando calidè aſſumitur.

25 In phthiſi dictum decoctum lacti caprillo, aut aſinino maritatum, omnem paginam adimplet, nam licet multa phthiſicis remedia ab auctoribus praeſcribantur, ut tinctur. antiphthiſic. Etmull. balſam. Lucatel. pulv. Hali pharmacop. auguſt. balſamum ſulphur. therebintinat. & alia, tamen talis eſt hujus morbi ſaevitia, ut ſoli lacti cum decocto vulnerario cedat, quapropter errant Medici, dum prius phthiſicos variis remediis ſaginant, ac denique lac, cum jam profuturum non eſt, praeſcribunt, quod ſi propinaretur in principio, fortaſſe prodeſſet.

In pleuritide ſpecificè proſunt pulv. *ſang. hirc. pp. ad* ʒ. j. *pulv. mandib. lucii piſc. & dent. apr. ad* ʒ. j. *antimon. diaphoret. ad* ʒ. j. *ol. lini ſine igne extract. ad* ʒ. ij. *ſperma ceti ad* ʒ. j. *in juſculo.* Item *pomum Quercetan. cujus deſcriptio eſt apud Riverium, cap. de Pleuritid.* Praeterea *fuligo camini à Dolaeo magnis laudibus exaltata. Nitrum ſimiliter purificatum*; atque ex vegetabilibus *card. bened. & Mariae, praecipuè tamen flor. papav. rheas, quorum decoct. pro potu ordinario per totum morbi decurſum mirè prodeſt.* Cavendum tamen, ne ſub initiis morbi fortiora diſſolventia, qualia ſunt ſanguis hirci pp. & alia praeſcribantur, nam febre eorum ratione adaucta, nova ſymptomata ſubindè exurgunt.

26 Satis ergò eſt ſub initiis pulv. dentis apri, aut alium ſimilem propinare, ac poſtmodum morbo jam inducias dante ad alia devenire. Medicamentum ergo omnia longè antecellens ſunt duo veſicantia tibiis admota, de quo infra. Inter Auctores antiquos, qui de pleuritide rectè tractarunt videre convenit Coelium Aurelianum, & Theodorum Priſcianum, inter Neotericos Trillerum, qui methodum pleuritidem

dem curandi praeſcribit longè excellentiſsimam. Inter medicamenta pectoralia praeſcripta, fuligo camini, à Dolaeo tantoperè decantata, nihil prodeſt, neque quidquam prodeſt ſanguis hirci ab Helmoncio adeò laudatus, neque credidi unquam mandibulam luci piſcis, & dentem apri, quidquam in pleuritide valere, neque etiam pomum Quocrceta-ni. Igitur ſelectiora medicamenta in morbis frigidis pectoris ſunt vulneraria, & expreſsio millepedum; in morbis calidis, ſi ſint acuti, decoctum hordei, quod ſuperius pro tuſſi adduximus; ſi ſint chronici, lac, & vulneraria temperata omnem adimplent paginam. Verum de omnibus medicamentis pectoris morbis convenientibus tenere oportet, prodeſſe tantum dum tales morbi leves ſunt: dum vero fortes, & radicati, parum ab his omnibus ſperandum, quia nullum hucuſque agnoſcimus certae, & eximiae virtutis remedium pro his tollendis.

27 Adde morbos pectoris, quos frigidos vocant, ut aſthma, catharrum, tuſsim à materia craſſa, non eſſe reipſa cum frigiditate, ſed magno calore conjunctos, ut pectoralia medicamina calida (ne ipſis Mortoni pillulis exceptis) noxia ſint. Ergo demulcentia ut althaeam, ſymphitum, paſſulas, amigdalas, & ex his parata remedia: leniter attenuantia, ut liquiritiam, tuſsilaginem, hederam terreſtrem & leviora vulneraria, additis, pro re nata, hordeo aut avena in decoctis pro morbis calidis: & pulvere millepedum, aut ſpermate cete juxta artis regulas pro morbis, ut vocant, frigidis, morbis pectoris prae caeteris deſervire credimus. Id non omittendum hemoptoicos, phthiſicos, aſthmaticos multa remediorum congerie adeo non levari, ut exinde in pejus ruant; atque Tyrones intelligant hujuſmodi aegros bono regimine, aeris mutatione, interdum ſanari, ſin minus his praeſidiis, praepoſtera medicatione excluſſa, diutius trahere.

CAPUT VII.

De Stomachicis.

28 STomachica dicuntur medicamenta, quae ſtomachi officia in coquendis, & digerendis alimentis juvare creduntur. Ea omnia fermè ſunt calida, ſpirituoſa, roborantia, quia praedictas ſtomachi actiones calore foveri multis ab hinc ſaeculis apud Medicos ſtatutum eſt. Sed an reipſa dentur medicamina vi propria & ſpeciali ſtomachum ad cibos coquendos, & digerendos juvantia ſub dubio relinquimus; vidimus enim non ſemel languentem ſtomachum aqua frigida mirificè roborari, & calidis remediis in pejus ruere. Quae igitur medicamenta pro ſtomacho fovendo in uſu eſſe ſolent ſunt ſequentia.

Conſ. alcherm. ad ʒ. j. *aqua meliſ. compoſit. ad* ʒ. ij. *aqua theriacal. Crol. ad* ℈. j. *aqua maſtichin. compoſit. ad* ʒ. j. *aqua lacticinoſ. cinamom. & menth. ad* ʒ. iij. *eleoſachar. cinam. & cort. citr. ad* ʒ. ſ. *eſſent. aniſ. menth. cort. citr. & cinam. ad gs.* iiij. *ſirup. de cortic. citr. flor. tunic. menth. ſin. acid. ad* ℥. ij. *aqua menth. meliſſ. ad* ℥. iij. *Pulv. ſtomachic. Quercet. ad* ℈. ij. *elixir. propriet. Paracel. ad gs.* xv. *balſam. peruv. ad* ʒ. ſ. *ſal abſinth. ad* ʒ. j. Ex vegetabilibus *abſinth. menth. calam. aromat. cortic. citr. arant. Conferunt etiam elixir vitriol. Menſich. vinum ex cineribus abſinth. paratum. Item ambra in ovo ſorbili ad drachm.* j. *& alia ex quibus fieri poſſunt potiones pil. decoct. electuar. & aliae medicamentor. formulae pro Medici intentione, modo quo in ſuperioribus dictum eſt.*

29 Conveniunt ergo dicta medicamenta in languore ventri-

triculi cum cruditate acida, in qua ſpecificè prodeſt ſal ammoniacum ad ſcrup. j. in vino abſinth. maritatum ex obſervatione Etmull. in lienteria, caeliaca paſsione, cholera morbo, & vomitu cui ſpecificè prodeſt cortex peruvianus cum laudano liquido Sydenham. Verum eſt advertendum ventriculi languores, & cruditates acidas non rarò ab immodicò viſcerum aeſtu procedere, ut accidit bilioſis, & hypochondriacis, in quo caſu fugienda ſunt ſupradicta medicamenta, quia nimis volatilia, & acria, & ad alia ſtomachica blandiora, cum temperantibus mixta tranſeundum, pro quo fine ſpecificè prodeſt rhabarbarum maſticatum ad plures dies, cremor tartari, ſpirit. ſal. dulc. vinum abſinth. & reliqua diluentia, temperantia, ac aperientia. Item abſorbentia temperantibus mixta pro eo fine conducunt: ſimiliter emulſiones ex ſeminibus frigidis, & ſemine aniſi paratae. Eſt etiam advertendum inter medicamenta ſtomachica non infimum obtinere locum medicamenta externa, ut oleum abſinth. nucis moſchat. cariophil. balſam. catholic. cataplaſmata ex vino generoſo, pane toſto & trito, addito cinamomo, aut pulvere reſtrictivo magiſtrali, ut noſtris mulierculis in uſu eſt. Sequens emplaſtr. aliis praefero.

R. *Gum. tacamac. colat.* ʒ. vij. *pulv. cinamom.* ϑ. j. *ol. eſſent. carioph. gs.* iij. *balſam. peruv.* ϑ. *ſ. fiat ex arte emplaſtr. pro ſtomacho.*

R. *Maſtich. q. ſ. ol. aniſ. gs.* vj. *fiat emplaſtr. &c.*

30 Inter medicamenta ſtomachica ſelectiora celebrantur hodie elixirium Garuſi, & proprietatis Stoughton, quae re ipſa ab alis elixiriis uſitatis parum diſcrepant, ut laudes quibus nova haec extolluntur, circulatorium quid ſapiant, certoque noverimus in pluribus aegris nocuiſſe. Praeſtat ergo decoctum amarum, itemque vinum, quod optimum ſtomachicum eſt quandoque ſolum, quandoque aqua, quandoque herbis amaricantibus mixtum; idque perpetuo tenendum, numquam calidiora ſtomachica convenire, ut ſpiritus, tincturas, olea eſſentialia, aliaque hujuſmodi, quia ni-

nimis calefaciendo laedunt. Mihi autem obſervatione conſtat in cruditatibus nidoroſis recentibus nihil magis conferre quam aquam ſimplicem frigidam : in longis & fermè in habitum verſis ipſam aquam cui mixtus ſit licor ex nitro & marte compoſitus. Notare hic oportet, omnia ſtomachica medicamenta quamtumvis valida non aeque conferre pro ſtomacho roborando ac bonam dietam, cujus regimen in tali caſu videre poſſunt Tyrones apud Cornelium Celſum, ejuſque Commentatorem optimum, Lomium.

CAPUT VIII.

De Hepaticis, & Splenicis.

31 HEpatica vocantur medicamenta quae hepar reſpicere creduntur, vel quod viſcus hoc roborando, vel bilem corrigendo magnam opem in pluribus morbis praeſtent. Igitur dari remedia jecur vi ſpeciali roborantia non omnino certum eſt, at plura eſſe quae bilem corrigunt, nemo vel mediocriter in medendo exercitatus ibit inficias. Ac licet bilis morboſa in quavis corporis parte generari poſsit, cum tamen ejus effectus potiſsimum in hepate partibuſque vicinis patefiant, propterea quaecumque bili opponuntur remedia, ſub hepaticorum claſſe comprehenduntur.

32 Hepatica vulgo dividuntur in calida, & frigida. Calida utilia ſunt in obſtructionibus, ſcirro, ictero, & aliis hepatis morbis ; frigida utilia ſunt in eiſdem morbis, dum viſcerum intemperie calida junguntur. Nos ergo omnia hepatica conſideramus prout bilem reſpiciunt, nam ſi bilis eſt nimis ſubtilis, principiiſque activis impraegnata, conferunt hepatica frigida, *ut ſal prunel. ad drachm. j. ſpirit. ſal. ad ſcrupul. ſ. acidum limonum ad unc. ij. decoctum tamarindor. ad unc. iij. decoct. radic. fragar. cichor taraxaci, fumariae & flor. nimph. & alia diluentia, ut ſerum lactis, emulſiones, & ſimilia*, quae utilia ſunt in febribus ardentibus, inflammatoriis, & aliis in quibus nimis effraenata bilis eſt ſubjugan-

da.

da. Videnda quae de incraſſantibus, temperantibus, & diluentibus diximus.

33 Si autem bilis fuerit craſſa, iners, vappida principiis activis deſtituta, uno verbo, pituita & cruditatibus implicita, ut in ictero, cachexia, hydrope, obſtructione, ſcirro, conferunt ea omnia quae ſalibus lixivialibus ſunt impraegnata, ut *abſinth. chelidon. maj. centaur. minus, gentiana, marrubium, praecipuè tamen rhabarb. quod ab aliquibus ideò anima hepatis appellatur, & aloes, nam ſua amaritudine bili validè analoga, eidem principia activa reſtituit.* Verum attentè notandum, non rarò accidere, ut bilis craſſa, & iners, cum immodico ſanguinis, aut viſcerum aeſtu jungatur, ut videre eſt in hypochondriacis, ventriculo debilibus, & aliis; in quo caſu fugienda ſunt nimis calida medicamenta, & ſupradictis, mixtis cum diluentibus eſt utendum, pro quo fine praecipuè conferunt aquae acidulae, aut thermales; at ſciant Tyrones aquas acidulas utiles eſſe his, qui ſicco & ſqualido ſunt corpore, ac quibus bilis excedens vappida, & iners cum intemperie viſcerum calida juncta eſt, ac denique quibus ſalvis pulmonibus, pectore, & nervis, humores acres, calidi, bilioſi, redundant, & fibrae ferè jam arefactae prae ſiccitate criſpantur. Thermae verò magis conferunt, quibus acidi humores exuperant, corpus magis laxum eſt, & non ita viſcerum intemperie calida gaudent, de quo conſuli poſſunt Hoffm. & Manget. Bibliothec. Pharmaceutico-Medic. tom. 1. pag. 162. ubi haec omnia longiſsimè traduntur. Ex medicamentis propoſitis fieri poſſunt pro re nata variae medicamentorum formulae ut ſupra in attenuantibus attulimus; ſed ſyrupus ex ſuccis mercurialis, borraginis, taraxaci, & ſimilium ex arte paratis certe utiiis nobis pluries viſus eſt.

34 Splenica medicamenta ea dicuntur, quae morbis lienis ſunt accommodata. Verum notatu dignum, rarò praedictos morbos adeſſe ſine depravata ventriculi digeſtione & coctione quia ſi hic in ſuo opere malè ſe gerat, craſſae, ac terreſtres particulae, acidique ſucci exinde proveniunt, qui in liene, & hepate, tùm propter vaſorum anguſtiam, tùm propter vicinitatem cum ſtomacho, ſtagnantes, praedictis

mor-

morbis viam ſternunt, propterea non rarò accidit affecto liene, hepar ſimiliter affici, & contra. Sunt ergò ſplenica medicamenta ea omnia, quae ad craſſos calidoſque humores attenuandos & corrigendos ſuperius adducta ſunt, ſcilicet martialia, oleoſa, abſorbentia, & aperitiva, quae cum cautionibus ibidem propoſitis oblata in morbis ſplenis omnem paginam adimplent. Inſuper aquae minerales acidulae, aut thermales pro aegrorum varietate, ut ſupra dictum eſt, in morbis ſplenis unicum ſolent eſſe remedium. Huc pertinent medicamenta antiſcorbutica, quae ſale volatili acri, ſuccos auſtero-acidos in ſcorbuto quandoque regnantes, enervant; talia ſunt *ſuccus, aut ſpiritus cochleariae, becabungae, naſturtii utriuſque, cherefolii, raphani, trifolii fibrini, & alia*, in quorum praeſcriptione notandum, eis non eſſe nimis, & incautè utendum in ſcorbuto, nimio viſcerum calore conjuncto, noſtris popularibus frequentiori, exindè enim magis laborare ſcorbuticos obſervavimus, imò & in tali ſpecie ſcorbuti omnibus remediis fruſtra tentatis, lac aſininum per menſes, & annum, cum moderata dictorum ſuccorum quantitate exhibitum, mirè prodeſt, caeteraque antecellit remedia. In ſcorbuto autem non nimis calido ubi viſcera non valde aeſtuant audacter conveniunt, aut ſucci, aut decocta dictarum herbarum, adhibitis aliquibus abſorbentibus, item decoctum ſummitatum abietis, & pini aliaque in libris Medicorum paſsim obvia. Sed in morbis chronicis hepatis, & lienis, quibus perpetuum eſt tum demum vitia ſtomachi conjungi attente inſpiciendum, num malum à ſtomacho fomitem acceperit, an contra, ut Medicorum ſuppetiae ei ferantur parti à qua damnum primo oritur.

CA-

CAPUT IX.

De Hyſtericis, & Nephriticis.

35 HYſterica medicamenta ſunt quae uterum reſpiciunt. Ex his alia ſunt generica, quae uteri morbis opponuntur dum in his generalia humorum vitia contemplantur, ut cum bile, melancholia, pituita aliiſque id genus vitiis infeſtatur: alia ſunt ſpecialia quae utero deſervire vi propria creduntur. Priora ex ſuperius dictis deducenda: poſteriora ſunt aqua meliſ. ſpirituoſa, ſpirit. c. c. ſuccinatus, oleum eſſent. juniper. ſal volatil. c. c. aqua lacticinoſa cinamomi, elixir propriet. ſin. acid. tinct. mirrh. tinct. caſtor. tinct. croc. tinct. ſuccin. aſſa foetida, galbanum. ſirup. capill. vener. artemiſſ. menth. ſine acido, ſal jovis; aqua naphae, meliſ. & alia medicamenta volatilia, ſpirituoſa, & abſorbentia, quibus meritò adduntur opiata, & cortex chinae chinae, qui ſemel, & iterùm exhibitus hyſtericos paroxiſmos mirificè ſedat. In forti paroxiſmo ubi motus convulſivi praeſertim adſunt

R. *Aſſae foetid. caſtor. laud. opiat. anà gr.* i. *fiant pil.* 4. *ſumantur una doſi.* Vel

R. *Conf. alcherm. incompl. & pulv. matr. perl. pp. anà* ʒ. *ſ. tinct. caſtor.* ϑ. *ſ. laudan. liquid. Sydenham.* gs. x. *ſirup. capill. vener.* ʒ. ij. *aquae naph.* ʒ. iij. *pr. duabus doſibus.*

R. *Moſchi gr.* viij. *pulv. criſtal. mont. pp. & ſacchari alb. anà* ϑ. j. *balſam. peruvian. q. s. fiant pil. pro* 4. *doſibus.*

36 Pillulae iſtae adducuntur à Solenandro, Fuller, & aliis, pro quarum praeſcriptione notandum, aromata naribus admota hyſtericas mulieres adeò commovere, ut in ve-

hementes paroxiſmos eas adducant; contra, foetida naribus admota paroxiſmos hyſtericos ſanare expertum eſt. Verum, aromatica medicamenta intus aſſumpta hyſtericas affectiones ſaepiſsimè ſanant, atque ut majori certitudine in his praeſcribendis procedant Tyrones, notandum, alias eſſe hyſtericas foeminas ſicci corporis, cujus fibrae rigidae, & tenſae ad motus ſpaſmodicos concipiendos ſunt aptae, in quibus ſimiliter ſanguis nimis rutilans, & ſpirituoſus ſpaſmodicas oſcillationes, & hyſtericos paroxiſmos producit. In his proſunt ſuccinata, caſtoreum, & medicamenta ſimilia cum opiatis maritata; aliae autem ſunt hyſtericae fibra laxa, ſanguine vappido, & parum turgeſcenti praeditae, in quibus aromata abſorbentibus mixta ſummè proſunt, ut ipſe ſedulò obſervavi.

37 Praeterea in omnibus hyſtericis genericè notandum, plus prodeſſe diaetam, quam pharmaciam, quod verum ſimiliter eſt in hypochondriacis, uterque enim morbus flagellum, & oppobrium Medicorum vulgo appellatur. Inſuper eſt advertendum, inter evacuationes nullam eſſe magis noxiam hyſtericis, quam purgationem ex obſervatione Sydenhamii, ac nullam eſſe magis utilem quam ſanguinis eruptionem per haemorroydes, aut uterum, arte, vel ſponte productam ex Hipp. conſilio. Deindè advertant Tyrones, an hyſtericae viſcerum intemperie calida gaudeant, nam ſi ita ſit, abſtinendum à nimis calidis medicamentis, quae paroxiſmum tollunt, alium fortiorem ſubindè productura, & venae ſectionibus, decoctis temperantibus, & abſorbentibus medicamentis ſunt tractandae. Circa aquas minerales, & martialia idem dicendum, quod in affectione hypochondriaca ſuperius diximus, at ſi limatura martis cruda praeſcribatur, attendendum eſt, an poſt ejus uſum ructus nidoroſi, & veluti alliacei ſurgant, ac ſpontanea alvi laxatio cum egeſtione foecum nigricantium ſequatur, haec enim ſigna foelicis operationis ſunt, atque ulterius continuandum ſuadent. Sin minus, abſtinere conſultum eſt.

38 In menſium ſuppreſsione conferunt omnia aperientia, tartarea, & martialia jam ſatis ſuperius recenſita; ſpecificè

ve-

verò prosunt sabina, crocus, mirrha, & ex his parata remedia, item tinctura castorei, angelica, artemis. melis. ex quibus sequentes formulae, aut aliae fieri possunt.

R. *Gumm. ammon. acet. solut.* ʒ. j. *tinct. croc. & castor anà gs.* vj. *extract. panchimagog. Crol.* ʒ. *s. trochisc. de mirrh.* ϑ. j. *ol. succin. q. s. fiant pil. de quibus capiat aegra aliquot, singulis quatuor, vel quinque diebus. Tempore igitur intermedio assumat sequens infus.*

R. *Rad. angelic. zedoar. anà* ℥. j. *folior. matricar. sabin. anà manip.* j. *baccarum juniper. recent.* ℥. *s. cinamom.* ʒ. iiij. *croci* ʒ. j. *sal. tart.* ʒ. *s. infund. in vini albi veter. mensur.* j. *Dosis* ℥. iv. *singulis diebus.*

R. *Borac.* ʒ. *s. mirrh. gr.* xvj. *cinam.* ʒ. *s. m. fiat pulvis tribus dosibus propinandus.*

Si ergò dictis medicamentis menses non obediant

R. *Dictamn. cretic. aristoloch. utriusq. & trochischor. de mirrh. anà* ʒ. *s. sirup. capill. vener. & artemis. anà* ℥. j. *aquae sabin.* ℥. iij. *m. fiat potio tribus vicibus sumenda.*

R. *Sal artemis.* ϑ. ij. *borac. venet. tartar. vitriol. anà* ʒ. *s. croc.* ϑ. j. *olei essent. sabin succin. anà gs.* iij. *m. fiat pulvis pro* 4. *dosibus.*

39 Haec medicamina tantum conferunt cum menses ex imbecillitate uteri, aut tenaci obstructione non profluunt, quinimo sub hoc casu ab iis abstinendum, si foemina calidior sit, viscera aestuent, aut occulta febricula, ut fieri solet, morbum committetur. Praestat tunc restaurantibus, diluentibus, balneationibus menstrua provocare, optimamque diaetam praescribere, & negotium tempori & naturae committere. At cum menses mulieribus ex pluribus diversisque causis

profluere desinant, eas attente considerent Tyrones, neque remedia proposita sine multa praemeditatione praescribant; quinimo generaliter tenendum sanguinis evacuationem menstruam paucis aut nullis remediis esse tractandam, satis enim constat nulla esse medicamenta, quae directè habeant virtutem ad menses movendos, quare quae superius praescripsimus, indirectè tantum id efficiunt, quatenus uterum respicientia sanguinem in eo exagitant, ejusque fibras irritant ad expulsionem: atque inter tot medicamina huic usui destinata, praeferuntur caeteris myrrha, sabina, artemisia, dictamnum creticum, & aristolochia, quae raro propinare oportet, & non nisi magna cautela, quippè tam longè abest, ut communiter menses moveant, ut potius ipsos remorentur, & sua acrimonia inflamationes, & convulsiones inducant. Praestat potius hoc opus naturae, & tempori relinquere, & mulieres mensium suppresione laborantes venae sectione, & medicamentis quam mollissimis tractare.

40 Nephritica medicamenta ea dicuntur, quae morbis renum sanandis sunt opportuna, propterea non sunt cum diureticis confundenda, haec enim serosos humores ex toto corpore per urinae vias expurgant, illa autem solum renum morbis sunt accomodata, atque pro morborum renum diversitate sunt omninò distincta.

41 Calculum in primis expellunt, & infringunt sal stipit. favar. parietar. genist. succus raphan. limon. betulae, semen hiperici, cortex rad. fraxin. lapis judaicus, lincis, nephriticus, lignum nephriticum, testae ovor. calcinat. lumbrici, millepedes in vino albo infusi, & expressi, borax. & omnia ex therebenth. compositi. sirup. de alth. Fernel. de mucilaginib. Matthaei de Gradi. aqua cicer. imperial. &c. nuclei persicorum, pulv. ossium mespilorum, virga aurea, oleum amigdal. dulc. sine igne extr. & alia quam plurima medicamenta, quae ad infringendos calculos, & arenulas detergendas commendantur.

42 Decoctum nephriticum Foresti nedum ad calculos, sed ad urinae ardores utile.

R. *Semin. malv. alth. anà* ʒ. ij. *cicer. rubr.* ℥. iij. 4. *sem. frig. maj. anà* ʒ. ij. *hord. mund.* ℥. ij. *caric. ping. num.* ix. *rad. liq.* ʒ. vi. *coq. in aquae simpl.* ℔. iij. *ad med. part. consumpt. Dos.* ℥. iij. *singulis duabus, vel tribus horis.*

R. *Rad. alth. liquir. anà* ʒ. vj. *fol. malv. manip.* j. *caric. ping. dactil. anà num.* vj. *semin. viol.* ℥. j. *coq. in s. q. aquae hord.*

R. *Sal. stip. favar. & pariet. anà* ʒ. *s. pulv. rad. ononid. & virg. aur. anà* ℈. j. *ol. amygd. dulc. sin. ign. extract.* ʒ. iij. *spirit. baccar. junip. gs.* iv. *sirup. de alth. Fernel.* ℥. ij. *aquae cicer. imper.* ℥. iv. *m.*

R. *Rad apii, saxifrag. anà* ʒ. ij. *rad. virg. aur.* ʒ. j. *ocul. cancr. pp.* ʒ. j. *tart. vitriol. lap. prunel. anà* ℈. ij. *cremor. tart.* ℈. iv. *ol. junip. gs.* iv. *m. fiat pulvis praescribendus cum haustu sequentis decocti.*

R. *Rad. alth.* ℥. i. *s. glycirh.* ℥. *s. herb. virg. aur. manip.* ij. *alth. parietar. anà manip.* j. *ficcum num.* iv. *baccar. junip. semin. petrosel. bardan. milii sol. anà* ʒ. j. *coq. in vini albi* ℔. iij. *ad* ℔. ij. *pro quatuor dosibus colatur. adde sirup. de alth. Fernel.* ℥. j. *pro qualibet dosi.*

43 Ante horum medicamentorum praescriptionem notandum, non esse adhibenda pro calculis minuendis acria diuretica, nec nimis fortia medicamenta, quia cum fibrae renum à calculi asperitate crispentur, & contrahantur, horum medicamentorum nimis acrium adventu magis, ac magis tenduntur, & convelluntur, undè aucta praeternaturali fibrarum crispatura, dolores acerbissimi excitantur, & calculus, propter inversam partium figuram à nimia fibrarum tensione ortam, non solum non expellitur, sed & fortius ibidem impingitur. Quapropter in principio doloris nephritici, nec acria purgantia, nec clisteres acres, nec fortia medicamenta conveniunt, sed emollientia, laxantia, & fibra-

rum

rum crispaturam corrigentia.

44 Decocta, quae nunc à nobis pro calculis adducta sunt, ad urinae ardores temperandos mirè prosunt, quibus nihilominus addi potest emulsio arabica Fuller.

R. *Gum. arabic.* ʒ. j. *coq. in aquae hord.* ℔. ij. *ad solut. cum hac solutione, & semin. malv. papaver. alb. amygd. dulc. excorticat. anà* ʒ. *s. fiat emulsio secund. art. cui adde sacchar. satur. gr.* xvj. *sirup. alth. Fernel.* ʒ. iij. *m.*

45 Notare oportet urinae ardores in senibus adeò frequentes, non tam ab immodico eorum calore, quam primae coctionis defectu provenire, quatenus langueſcens natura & cum ea ventriculus, alimenta rectè subigere nequeunt, quae in mucos, & excrementa ut plurimum abeunt; haec postmodum diuturna mora acrimoniam contrahunt, & ad urinae vias adducta urinae ardores excitant, quod jam agnovit Hippocr. 6. Aphor. sent. 44. ubi febrem pro ardore urinae commendat. Et Galenus in Comm. ejusd. sententiae latè id explicat. Idcircò Heredia in Comm. Histor. Appoll. pag. 193. haec scribit: *Quibus aciditas in excrementis abundat, caveant urinae ardorem, quod symptoma omnes practici ad urinae salsedinem sine lite reducunt, ut, ignorata causa, aegros sine curatione relinquant.* Quapropter fugienda sunt in dicto casu medicamenta nimis temperantia, & frigida, ac obtundentia, quippè ventriculum debilitando, inversa prima coctione & digestione, nedum ardorem urinae non corrigunt, sed & aegros in dies ad pejora damna praecipitant; conferunt potius pro eo fine stomachica blandiora, quibus prima alimentorum coctione correcta, urinae ardores sensim, minuuntur.

46 Hactenus medicamina pro calculis comminuendis & expellendis in practicorum libris prostantia attulimus, sed eos effectus producere non adhuc vidimus, nec ut opinor, aliquis unquam vidit. Igitur ad impediendam calculorum generationem, & genitorum comminutionem confert omnem cor-

corporis incaleſcentiam vitare, aqua ſimplici frigida humectari, alimenta tenuis ſucci ſub pauca copia aſſumere, vitam denique temperatiſsimam & ab omni penitus exceſſu alienam tranſigere. Caetera quaecumque ſine his, naeniae ſunt. Fatemur nihilominus eſſe aliqua medicamina renes reſpicientia, quae ipſis roborandis, & depurandis inſerviunt, quorum virtus ex accidenti in calculo maximè prodeſt, inter quae omnibus meo judicio praeferenda ſunt ſpecies illa buxi, quae à Graecis Agallochum dicitur: & herba ab ipſis Parthenon appellata, à Latinis Matricaria, etenim praeſcriptis venae ſectionibus in calculo, ſicut *emulſione arabiga*, aliiſque diluentibus, quae neceſſario antecedere debent quaecumque alia remedia, decoctum ſupradictarum herbarum in hoc morbo prodeſt.

CAPUT X.

De Medicamentis purgantibus.

47 MEdicamentum purgans eſt: *Quod corpori exterius aut interius applicatum materiam morboſam per inteſtinum rectum evacuat.* Purgatio eſt: *Excretio per alvum eorum, quae ex corpore per inteſtina fluere poſſunt.* Licet medicamentum purgans propriè comprehendat quodlibet medicamentum quovis modo corpus ab impuritatibus liberans, ut diuretica, ſternutatoria, emetica, &c. tamen uſus obtinuit, ut ſub eo nomine ea quae per inteſtina evacuant, intelligerentur, atque in eo ſenſu in diffinitione verbum illud, *per alvum*, appoſuimus. Purgantia dividuntur: 1. ab effectu, undè alia benigna, alia fortia, de quibus rectè loquitur Galen. lib. 3. ſimpl. cap. 24. 2. à modo actionis, undè alia ſunt quae primas tantum vias expurgant, *lenientia* dicta: alia quae ex toto corpore fluida expellere faciunt, & propriè cathartica appellantur. 3. à loco, undè alia ſunt, quae interius applicata effectum ſuum producunt;

alia

alia quae exterius adhibita mirificè purgant, ut unguent. de arthanith. imò ſolo viſu, & odore purgantium plures purgatos fuiſſe commemorant Auctores plurimi quos citat, & adducit Auctor *tract. de Virib. Medic. pag.* 254. Praecipuè dividi ſolent purgantia in cholagoga, phlegmagoga, melanagoga, & hydragoga. Cholagoga dici ſolent, quae bilem expurgant, ut rhabarb. aloes, &c. Phlegmagoga, quae pituitam, ut agaricus, turbith, &c. Melanagoga, quae humorem melancholicum, ut folia ſenae. Hydragoga, quae ſeroſos humores evacuant, ut tamarindi, caſsia, ſal cathart. ſcamonium, &c. Hanc medicamentorum purgantium diviſionem, poſtquam per plurima ſaecula in medicina pluris habita eſt, noſtris temporibus ex Neotericis quamplures inutilem cenſuerunt, quòd, quocumque adhibito purganti medicamento, quilibet humor indifferenter ejiciatur. At recentiores alii, qui non tàm vanis hipotheſibus, quam ſedula obſervatione, morborum curationi incumbunt, curioſè animadvertunt, dicta medicamenta non eum ſolum, quem veteres dixere, humorem evacuare, ſed ipſum praecipuè, licet aliis adjunctum, v. g. Cholagoga licet praecipuè bilem, tamen alios ſimul cum ipſa protrudunt humores, ſic teſtatur Fredericus Dekkers *Exercitationib. Pract. pag.* 122. Manget. *Biblioth. Pharm. pag.* 172. *tom.* 2. Auctor *tract. de Virib. Med. pag.* 248. Fuller pag. 293. Undè licet non ita ſtrictè credendum ſit, ſolum dictos humores evacuare, ut crediderunt veteres, nec pluribus etiam Neotericis fidendum eſt, qui huic potius quam alteri humori expellendo conferre negant, quapropter Tyrones, in morbis in quibus bilis excedit, eligant prae caeteris ad purgandum, cholagoga; in humoribus ſeroſis, hydragoga, &c.

48 Dividunt aliqui ulterius purgantia in *eradicativa*, & *minorativa*. Priora vocant, quae materiam morborum in totum evacuant, alia vero dicunt eſſe ea, quae tantum materiam morbificam minuunt, non autem integrè educunt. Verum haec diviſio vana eſt, & aegrorum ſaluti pernicioſiſsima, quippè ab ſcholaſticis conficta nullatenus experientiae conformis videtur imò, Medici eam ſequentes audaciores ſunt,

quam

quàm oportet, in purgantibus praeſcribendis circa morborum initia, falſa decepti opinione, quod cauſam morbi eo modo minuere valeant. Cum igitur nullus ſit morbus acutus, qui non aliquid acre, & inflammatorium ſecum afferat, quod natura per leges coctionis ſubjugando vincat, hinc fit, ut purgantia, quaecumque fuerint, initiis morborum adhibita nedum non minuere, ſed morbum ſua acrimonia, & irritatione augere debeant, imò coctionem turbando naturam deſtruere. Quod ergò Medicos hucuſque fefellit, ut crederent medicamenta purgantia minuere poſſe vim morbi, in principiis adhibita, id fuit, quoniam medicamento praeſcripto viderunt, aegrotum aliquas efficere dejectiones humoris. Sed quid quaeſo inſulſius excogitari poteſt? Nonne homo ſanus, ſi purgans medicamen accipiat, idem efficit? Quis eſt qui neſciat, purgantia medicamina humores bonos, & ſibi obedientes liquare, eos autem, qui eorum virtuti reſiſtunt, intus relinquere? Ex conferentia igitur, & tolerantia dignoſcenda eſt utilitas purgantis, minimè ex numero, & quantitate dejectionum. Adde, quod *producta*, ut vocant, morboſa educunt ſaepe purgantia, non morborum cauſas, quod bene notent Tyrones, ne in iis praeſcribendis faciles ſint & audaces, ut nebulones & circumforanei, qui multa damna iis medicamentis inconſultò praeſcriptis & ſanis & aegrotis inducunt.

49 Circa modum, quo hujuſmodi medicamenta propriè cathartica operantur in corpore, plures ſunt Auctorum opiniones, nam ex antiquiſsimis Aſclepiades, ejuſque aſſeclae, medicamenta purgantia, non humores praeexiſtentes trahere, ſed ipſos potius in putredinem vertere, & naturae moleſtos reddere, tenuerunt. Verum praeterquamquod haec opinio ſatis refellitur à Galen. lib. de Purg. Med. Facul. cap. 1. impugnatur ſatis apud omnes ferè Auctores, eò quod tàm cita humorum in putredinem converſio à leni purganti quandoque exhibito, ſit incredibilis. Poſtmodum Laurentius Joubertus cathartica per antipathiam operari credidit, quatenus medicamento in corpore exiſtenti, humores veluti fugientes expelluntur. Sed hujus opinionis error, vel

ipſis Tyronibus innoteſcit, eamque propterèa ſententiam relinquo tanquam refutatione prorſus indignam. Galenus, ejuſque ſectatores per magnetiſmum operari aſſeruerunt, quatenus medicamenta à calore ventriculi ſubacta, & in actum reducta, vim humorum attractricem eis connaturalem excercentia, ipſos etſi à longinquis partibus inſtar magnetis attrahunt, & ad inteſtina, ac ventriculum facultate expultrice ejecti, facile foras exploduntur. Ex Neotericis aliqui judicarunt, purgantia medicamenta operari inita fermentatione in ſuccis primae regionis, aut in ſanguine, qua partes inutiles ab utilibus ſeparantur, & per ſtimulum ab ipſis catharticis inductum excluduntur. Ita ferè omnes Chymici cum Etmuller. Uviliſ. & aliis aſſeruerunt. Verum poſtquam Archibaldus Pitcarnius in Inſtit. Phyſico-Mathem. Hecquet, & alii noſtri temporis Medici ad oculum, ut ajunt, oſtenderunt non eſſe in humano corpore principia ad fermentationem requiſita, hancque proinde reperiri non poſſe, eam opinionem penitus ſpreverunt, & aliam ſubinde ex naturae fortaſſe fontibus plenius deductam, ejuſdemque operibus magis congruam tradiderunt.

50 Citati ergó Auctores judicant, medicamenta propriè purgantia, cathartica dicta (nam lenientia, & eccoprotica, quae primam tantum regionem expurgant, lubricando, laxando, & leviter ſtimulando agere lippis, & tonſoribus notum eſt) in ſolidis, & liquidis agendo operari; in ſolidis, quatenus ea irritando, pungendo, ſtimulando, motus oſcillationis, & vibrationis augent, & ad expellendum quidquid diſpoſitum eſt, excitant, ac commovent. In liquidis quatenus ea exagitando, movendo, attenuando, ad inutilium particularum ſeparationem citius peragendam, quaſi cogunt; hinc, aucto ratione cathartici totius ſolidorum, ac liquidorum ſyſtematis motu, totum ſimiliter corpus turbatur, & commovetur, & ab adhibito purganti dolores in ventre, & capite, caloris auctio, pulſus celeritas, & alia contingunt. Sed dices, quare omnia purgantia humores ad inteſtina, & non in alias partes avocant? Reſpondent, id ex mechanice, qua corpus conſtructum eſt, facilè deduci, quippè cum cathar-

thartica véntriculum, & inteſtina potius quam caeteras partes pervadant, ea proinde magis irritant, & ſtimulando motum eorum periſtalticum plus commovent, undè cum liquida eo velociùs, & majori copia currant, ubi major eſt oſcillatio, ut explicat Bagliv. tract. de Fibr. Motr. cap. 8. ideò currentibus liquidis, purganti exhibito, majori copia ad inteſtina, particulas ibidem impuras relinquunt, quae motus periſtaltici ope foras avocantur. Iterum dices undè provenit, ut chologoga bilem potius, quam reliquos humores evacuent, &c? Reſpondent, id provenire à diverſa textura medicamenti purgantis, & obedientia, vel tenacitate humoris excernendi. Sic bilioſi humores cum facilè mobiles ſint, medicamentis illis expurgantur, quae ſalibus alchalino-volatilibus potiſsimum conſtant, contrà pituitoſi humores medicamenta poſtulant, quae ſuis partibus viſcoſo-tenacibus, & reſinoſis in ſolida magis impingant, & eos ad excretiones excitent, &c. undè temerè negandum non eſt cholagoga, melanagoga, hydragoga, & alia huic potius, quam alteri humori expellendo non conferre. Qui plura de his velit legat Zuingerum Inſtit. Med. tom. 1. pag. 278. Fatendum nihilominus eſt, ſupradicta haec omnia nimis generalia eſſe, ac leges tantum communes humani corporis attingere, non tamen proprias, & ſpeciales, quae in uſu purgantium medicamentorum obſervantur. Nam quis non videt, plura eſſe remedia irritationem in inteſtinis inducentia, & liquida commoventia juxta mechanicae leges, quin tamen ſint purgantia? Imò in colicis doloribus adeſt acre irritans inteſtina, & humorum affluxum ibi pluſquam par eſt, provocans, cum tamen ab hac irritatione minimè alvi fluxus ſequatur: ergo aliquid aliud requiritur in medicamento purganti, praeter irritationem, ad humores educendos. Adde praedicta ratiocinia ex hypoteſi eſſe deducta, neque quidquam aliud continent quam hominum variè nutantium figmenta. Occultum enim & hactenus prorſus incognitum quomodo cathartica effectus ſuos exerant. Neque neceſſe eſt id ſcire ad ea praeſcribenda, cum ſatis ſit ex obſervationibus noviſſe quos, quibus, & quando purgare ſit neceſſe.

51 Quia verò interdum in praxi oportet, medicamenta lenitiva ad primas vias expurgandas offerre, ea idcirco primum tradamus, & deinde vera cathartica examinabimus. Medicamenta ergò, quae in officinis pro eo usu prostant, sunt:

Manna ab ʒ. ij. *ad* ʒ. iij. *rhabarb. à* ʒ. *ſ. ad* ʒ. j. *pulpae tamarind. ab* ʒ. j. *ad* ʒ. iij. *caſsia ab* ʒ. j. *ad* ʒ. iij. *folia ſenae à* ʒ. ij. *ad* ʒ. vj. *ſirup. aur. ex ror. majal. ad* ʒ. iij. *ſirup. de cichor. cum rhab. ad* ʒ. ij. *ex quib. fieri poſſunt diverſae formulae.*

R. *Tamarind.* ʒ. *ſ. fol. ſen.* ʒ. ij. *rhei* ʒ. j. *coque in ſ. q. aquae ad* ʒ. iij. *in colatur. diſſolv. mann. & ſirup. roſar. ſolut. anà* ʒ. *ſ. m.*

Huc pertinet ptisana laxans Regia dicta, cujus haec est descriptio.

R. *Seri lact. depurat.* ℔. vj. *folior. ſen.* ʒ. ij. *cinamom. & ſal. tart. anà* ʒ. ij. *infundant. per* 4. *horas, dein leviter bulliant, col. & ſervet. ad uſum.*

52 Praescribitur ptisana pro una dosi ad uncias v. aut vj. non modò semel, sed quandoque, bis in die, si opus sit, ut defectus virtutis suppleatur per quantitatem; propinari solet in casu, quo necessarium sit purgare, ac propter vicium imbecillitatem, id aliis medicamentis magis efficacibus fieri non potest. Quibus amara, & ingrata medicamenta non placent, ut foeminis commune est, fieri potest potio sine rhabarb. & sena.

R. *Decoct. tamarind. & ſirup. aur. ex ror. maj. anà* ʒ. ij. *cremor. tart.* ʒ. j. *aquae lacticinoſae cinam. q. ſ. ad gratum ſaporem me.*

53 Pro eodem fine confert potio angelica ex manna in aqua

aqua ſoluto, ut videri poteſt apud Palacios pag. 647. Pro eadem intentione in uſu ſunt apud pharmacopolas pillulae ex aloe, cinamomo, & diagridio, vulgo *ſtomachicae* aut uſuales dictae, quae unius drachmae quantitate aſſumptae mirè quandoque purgant.

54 Haec medicamenta conferunt in omni caſu, in quo vaſa primae regionis ſint à ſordibus liberanda, proinde non ita ſtricta praeparatione indigent, ſicut verè cathartica.

55 Purgantia propria, quae in officinis pro Medicorum uſu habentur, vel ſunt ſub forma ſolida, vel liquida; in forma ſolida, continentur pillulae, pulveres, boli, electuar. &c. in forma liquida, potiones, apozemata, & alia. Pillulae ergò, quae fraequentius in officinis exiſtunt, ſunt *pill. de tribus, pill. de duob. pill. angelic. de ſuccino Craton. caephalic. Carol. Muſitan. familiares ejuſdem, pill. de fumar. arthritic. opticae, ſive lucis major. pill. hermodactil. agreg. de rhabarb. aureae, pill. ſine quib. eſſe nolo Nicolai, pill. faetid. chochiae minor. de agaric. de lapid. lazul. alephangin. catholic. arabic.* quarum omnium doſis eſt à ſcrup. ij. ad drachm. j. ſeu ad ſcrup. iv. demptis *pill. catholic.* & *de lapid. lazul.*, quae à ſcrup. ſ. ad ſcrup. j. vel ad ſummum ad drachm. ſ. praeſcribuntur.

56 Licet has omnes pillulas, aliquibus tantum exceptis, ſuperfluas eſſe plures aſſerant, eo quod omnium purgantia eadem ſint, tamen interdum, data occaſione, omnes prodeſſe certum eſt, cum non ſolum purgationis effectus, ſed alios quandoque deſideremus, qui non quibuslibet pillulis perficiuntur. Sic in morbis capitis ſpecificè proſunt. *pill. de ſuccin. Crat.* & *caephal. Carol. Muſitan.* In morbis infimi ventris, praeſertim obſtructionibus lienis, hepatis, &c. conferunt *pill. famil. Muſitan. Tartareae Bontii*, aut *Cachecticae Quercetani*, & ſic de reliquis. Deaurari ſolent pill. pro Medici arbitrio, vel ut viſui fiant gratiores, vel ut earum amaritudo aliquo modo obſcuretur.

R. *Maſſ. pill. angelic.* ʒ. j. *tart. ſolub.* ϑ. *ſ. diagr. gr.* vj. *cum liquor. idoneo fiant pill. & deaurent.*

R.

R. *Maſſ. pill. cochiar. minor. & angelicar. anà* ℈. ij. *ſcamon. ſulphurat. gr.* iv. *fiant pill. & deaurent.*

R. *Maſſ. pill. catholicar.* ℈.j. *fiant pill. & deaurent.*

Pillulae panchimagogae ad omnes ſimul humores excludendos, ſic parantur.

R. *Agaric. albiſsim. rhabarb. elect. anà* ʒ. *ſ. extract. hellebor.* ℈. *ſ. reſin. jalap. ſcamon. ſulphurat. anà gr.* vj. *cremor. tart.* ℈. j. *cum liquore idoneo fiant pill. pro duabus doſib.*

Ad ſeroſos humores potenter educendos

R. *Gutt. gambae gr.* x. *ol. junip. confect. mitridat. q. ſ. ut forment. pill.*

57 Pillulae iſtae, ait Fuller, inaſuetis vomitiones duas, aut tres ſolent excitare; poſtquam verò vis vomitiva infringitur, adeò vehementer educunt humores ſeroſos, ut ſaepius 12. aut 15. ſedes merè aquoſae ex earum uſu profluxerint, quare eas in hydropicis maximè commendat, atque adeò inter hidragoga purgantia meritò enumerat.

R. *Maſſ. pill. tart. Quercet.* ʒ. j. *cremor. tart.* ℈. j. *diagrid. gr.* vj. *fiant pillulae, & deaurent.*

Ad purgandos humores melancholicos ſunt utiliſsimae, atque inter melanagoga recenſentur.

R. *Gumm. amm. acet. ſolut. & traject. aloes ſuccotrin. anà* ʒ. *ſ. turbith. gumoſ.* ℈. j. *agaric.* ℈. ij. *reſinae ſcamon. gr.* iv. *cum liq. idon. fiant pill. pro duabus doſib.*

Phlegmagogae ſunt, ad pituitoſos humores educendos.

R.

R. *Maſſ. pill. cachecticar. Quercet.* ʒ. j. *mercur. dulc.* gr. xvj. *reſin. jalap. gr.* iv. *fiant pill. pro duabus doſib.*

58 Optimae ſunt ad purgandos humores craſſos in lue venerea. In forma pulveris in uſu eſt pulvis Cornachini, ſeu de tribus, ſic praeſcribitur.

R. *Pulv. Cornachin.* . ij .

Componitur hic pulvis ex aequis partibus *antimonii diaphoret. cremor. tartar.* & *ſcamon ſulphurat.* ac maxima ejus doſis eſt ad ſcrupulos duos, atque tot laudibus ab ejus Auctore Marco Cornachino, qui de ejus viribus librum integrum conſcripſit, extollitur, ut aliud par ei non ſit in medicina remedium. Verum fama eſt, pulveris Cornachini uſum Romae fuiſſe damnatum ſub poena damnationis ad triremes. Ex conſilio nihilominus Georg. Bagliv. in morbis capitis per conſenſum ventris, utiliſsimus eſt. Fides ſit penes Auctorem.

59 Pillulae exhibendae ſunt ſub noctem hora ſomni duabus, aut tribus horis à coena, atque eis aſſumptis probè dormiendum, quippè hora conſueta ſtimulando, expergefacere ſolent. In ſtomacho debilibus curandum eſt, ut recentes, ſi fieri poſsit, aſſumantur, ſi enim nimis ſiccae ſint, ſolent immutate per alvum ejici, & minorem praeſtant effectum. Praeterea uſus pillularum notabant antiqui utiliores eſſe, quam potiones ad purgandos humores ex parte diſtanti, quòd in ventriculo diutius detentae majorem operationem facere poſſe creduntur.

60 Potiones purgantes fieri ſolent apud noſtrates Medicos ex rhabarbaro, foliis ſenae, manna, ſale cathartico, & aliis, additis ſirupo roſar. ſolutiv. Reg. Philippi, Princip. aureo compoſito, flor. perſic. de rhamn. cathar. Potio cholagoga.

R. *Rhabarb.* ʒ. j. *tart. ſolub.* ℈. *ſ. infundant. in ſeri lact. depurat.* ʒ. iv. *colaturae adde ſirup. roſar. ſolutiv.* ʒ. ij. *me.* Vel

R. *Rhabarb.* ʒ. j. *cryſtall. tartar.* ʒ. *ſ. infund. in aquae en-*

endiv. ʒ. iv. *in colatur. diſſolv. mann. elect.* ʒ. j. *in expreſsione dilue ſirup. Reg. Philipp.* ʒ. ij. *me.*

Potio phlegmagoga.

R. *Agar elect.* ʒ.i. *turbith. gumm.* ʒ. *ſ. tart. vitriolat.* ϑ. j. *infund. in aquae meliſ.* ℥. iv. *colatur. adde ſirup. flor. perſic.* ʒ. ij. *aquae lacticinoſ. cinam. q. ſ. ad gratum ſaporem me.*

Potio melanagoga.

R. *Fol. ſen.* ʒ. iij. *ſal. tartar.* ʒ. j. *infund. & leviter coque in aquae borrag.* ℥. iv. *colaturae adde extrat. hellebor.* ϑ. *ſ. ſirup. Princip.* ʒ. ij. *me.*

Potio hydragoga.

R. *Rhabarb.* ʒ. j. *infund. in aquae menth.* ℥. v. *colat. add. ſal. Anglic.* ʒ. *ſ. ſirup. roſar. ſolut.* ʒ. j. *me.*

61. Ad omnes humores ſimul purgandos, conferunt praecipuè *electuarium panchimagogum Zuvelferi*, *extract. panchimagog. Crol.* & alia. Dictae ergò potiones ſufficient pro uſu Tyronum; qui plura medicamenta deſideret, ſequentia in ſuis Auctoribus inveniet, eaque hic enumero, ut Tyrones facilius, ac minori labore ad uſum habere poſsint; non appono, quia non pharmaciam integram, ſed levem tantum notitiam medicamentorum nimis uſitatorum colligo. Inter cholagoga excellunt *ſirup. de colocinthide Silvii Deleboe* ex pulpa colocinthid. in aqua tartariſat. cum ſucco glizirrhiſ. & ſacchar. compoſitus. *Sirup. diacartham. Zuvelfer.* in ſua Pharm. Aug. *Spirit. vitae aureus Rulandi*, adeò ab Auctore in ſuis curationibus laudatus, ex pulpa colocinthid. ac gumm. tragacanth. arabic. rhabarb. & cinamomo, cum ſpiritu vini, & vino malvatico compoſitus; videri poteſt ejus

deſcriptio apud Dekkers. Inter melanagoga excellunt *electuar. melanagog. Zuvelfer.* in animadverſionib. in Pharmacop. Auguſt. *ſirup. de ſena* ejuſdem in Pharmac. Reg. *Extract. melanagog. Quercet.* cujus deſcript. habetur apud Mang. Bibl. Pharm. tom. 1. pag. 894. Pillul. tart. Quercet. apud Schroder.

62 Inter phlegmagoga praeſtant *extract. phlegmagogum Quercetan. pillulae catholic. familiares Hadriani Mynſic.* &c. Inter hydragoga *electuarium hydragogum Silv. Deleboe. hydragogum Zuvelf.* Pharmacop. Reg. pag. 839. & alia hydragoga ejuſdem Auctoris, item *pill. hydragogae Hadriani Mynſich. &c.* Tinctura cathartica Caroli Muſitani, quae in officinis parata eſt, optimum eſt purgans. Praeſcribitur ad drach. j. Item ex ſolis ſirupis purgantibus cum aqua appropriat. praeſcriptis, inſtitui ſolent à noſtris Medicis potiones cathárticae, quae ſat foelices producunt effectus. Inter ſimplicia radix & reſina jalapae, ſcammonium, guttagamba potenter humores aqueos purgant. Sed ſub moderatiſsimis doſibus exhibenda quoniam draſtica ſunt. Sic radix jalapeae in pulverem redacta ad gr. viij. reſina jalapae ad gr. iiij. ſcammonium ad gr. viij. ipſum tamen in diagridium converſum ad gr. xij. gutta gamb. ad gr. iiij. praeſcribi ſolent.

63 In medicamentis purgantibus, miſcere ſolebant antiqui aromatica, vel alia correctiva; at Neoterici diverſa purgantibus addunt, ut ipſa corrigant, ſic cum eis miſcent ſal. tartar. card. bened. abſinth. tartar. vitriolat. tart. ſolubil., qui partes reſinoſas ac viſcoſo-tenaces purgantium, ex eorum mente, ſolubiles reddunt, & ad ſuos effectus foelicius, & facilius producendos aptiores, ut ita ne ſtomacho, & inteſtinis tenaciter haereant, & ſuperpurgationes inducant, idcircò dicti ſales pillul. aut potionibus purgantium frequenter miſceri ſolent.

64 Haec omnia medicamenta, ſi recta methodo non praeſcribantur, nedum fient inefficacia, ſed maximè noxia, & nihil Medicum magis honorari facit apud vulgus, quam catharticorum recta exhibendi methodus; ſicut contra, ut innuit Hipp. lib. de Medic. Purg. *Turpis eſt calamitas, adhibito purganti, hominem occidere.* Proindè quibus, & quomo-

do praeſcribenda ſint, breviter innuam. Primò advertere oportet, maximum eſſe errorem credere, cacochimiam eſſe objectum purgationis adeò, ut ipſa praeſente, purgans medicamentum exhiberi poſsit. Neque ſatis exaggerari poteſt, quantum damni attulerit aegrotantibus pernicioſa haec ſcholarum doctrina, cum ea Tyrones procliviores pluſquam decet propinationi purgantium reddiderit. Quid tamen in hac re credendum ſit, breviter exponemus. Cacochimia, ut Graeca vox ſonat, eſt pravi humoris redundantia, ſeu ut nunc dicitur, vitium humoris qualitate peccantis. Igitur veneranda antiquitas aſſerebat, medicamenta purgantia nunquam eſſe praeſcribenda, niſi praeſente cachochimia, non tamen praecipiebat, ut ſemper, & praecisè exiſtente cacochimia, praeſcriberentur. Haec lex tanquam generaliſsima ab ipſis obſervabatur, ut in cacochimia tum demum propinarentur purgantia, cum natura id poſtulaverit, & moſtraverit tempus opportunum ea praeſcribendi. Dicebant ulterius, naturam conſtantiſsima lege & immutabili, humores utiliter excernere in omni morborum, tum acutorum, tum chronicorum ſpecie, peracta prius coctione, atque adeò ea ſolum praecedente, purgantia eſſe adhibenda, quod praeceptum non modò in morbis acutis, ſed etiam in chronicis diſtrictè obſervandum, ex antiquitatis mente, cenſeo. Undè errant quidam Medici, & maximo aegrorum periculo errant, qui titulo obſtructionum tollendarum, neque humoribus praeparatis, neque coctis, perpetuò purgant, & morbos prorſus incurabiles reddunt. Si humores pravi ab aliqua internarum partium diatheſi, & intemperie procedant, purgando frequenter, nihil aliud efficiunt, quam laterem lavare, & partes morbo oppreſſas magis offendere; notum enim eſt cachochimiam ſaepiſsime morborum effectus eſſe non cauſam, atque adeo cathartica per neceſſariam naturae irritationem, & virus quod omnia ín ſe continent, eductis, ut vocant, *productis* morboſis, cauſam intus producentem deterioris conditionis reddunt. Igitur in morbis chronicis plus prodeſt, vitium pravorum humorum generativum emmendare, & corrigere per alterantia, tum generica, tum ſpecifi-

fica, quam repetitis purgantibus naturam importunè fatigare. Legant Tyrones aureum Hippocratis lib. *de Medicinis Purgantibus*, & ediſcent ab hujuſmodi remediis conſultò abſtinere. Secundò ſcire convenit, purgantium medicamentorum quantitatem variam eſſe debere pro diverſitate aetatis, ſexus, temperamenti, &c. adeò ut pueris, ſenibus, foeminis, & naturis delicatis ſemper leviora purgantia, & parca manu, ſint praeſcribenda. Tertiò advertere oportet, quibus morbis conveniat purgatio, pro quo legant Tyrones Hippocratem Auctorem fidiſsimum, & naturam veri magiſtram ſemper ſequantur; innuere tantum ſufficiat, in inflammationibus internis, & febribus acutis, in principiis non conferre, ut deducitur ex Hipp. vulgari illa doctrina 4. acut. text. 22. *Quicumque ea, quae inflammantur, medicamento ſtatim in initiis ſolvere conantur, hi non ſolum ab intenſa, inflammataque parte nihil adimunt, cum non cedat, obſequaturque, quae adhuc cruda eſt affectio, &c.* quod nos longius explicamus tract. de Febribus. Quartò praemittenda ſunt alterantia purgantibus, tum ut mediis illis, impuritates à ſanguine ſeparentur, & ad obediendum purganti, veluti corrigantur, quod ſignificat divinus Senex 1. Aphor. ſent. 22. per verba illa: *Cocta medicari oportet, non cruda, &c.* tum ut viae, per quas humores purgandi ſunt, apertiores, & magis aptae reddantur, unde in magnis, & inveteratis ventris obſtructionibus, prius aperientia, & praeparantia offerenda ſunt, quibus viae lubricae fiant, poſtmodum ſi neceſſe ſit, adhibenda purgantia. Similiter in magnis, & vehementibus partium internarum doloribus, praeſertim convulſivis, ut colica hyſterica, convulſiva, illiaca paſsione, & aliis, non ſunt exhibenda purgantia, niſi prius emollientia, & laxantia praecedant, nam cum viae, & cavitates inteſtinorum, ob nimiam fibrarum tenſionem, & criſpaturam, quaſi occluſae ſint adeò, ut nec flatus erumpere queant, ſi oleoſis, emollientibus, & ſimilibus prius non laxentur, medicamenti purgantis ratione magis criſpantur, ac nedum humores non excernuntur, ſed & dolores nimis augentur, idque ſignificavit, Hipp. per illud: *Corpora dum quis purgare*

voluerit, oportet fluida facere. (a) Quintò, quaerendum eſt tempus opportunum ad catharticum exhibendum, ac licet quodlibet anni tempus, neceſsitate urgente, ac morbo id poſtulante, ad ipſum propinandum commodum ſit, tamen ver, & autumnus caeteris temporibus praeſtant, ut ait Cous noſter: *Quibus venae ſectio, aut medicatio convenit, his verè venam ſecare, aut medicari oportet*; (b) propterea in cane, & aeſtate minus convenire purgationes docet: *In cane, & ante canem difficiles ſunt medicationes* (c). Hominibus ſanis non ſunt exhibenda purgantia: *Corpora* enim *ſana difficile ferunt medicationes*, ex Hipp. (d) Excipiendi tamen ſunt ſani illi homines, qui integram ſanitatem non adipiſcuntur, ſed in ſtatu quem vocant, neutro, videntur conſtituti, ut gallici, hypochondriaci, hyſtericae, & alii; quibus adduntur illi, qui à morbo liberati, integrè non convaleſcunt, propter aliquas fortaſſe morbi reliquias, quae medicamento extrahendae ſunt, aliter namque: *Quae relinquuntur in morbis poſt judicationem, recidivas facere conſueverunt.* (e) Dicti ergò homines purgandi ſunt, tempore potiſsimum veris, ne in morbos incidant; melius enim eſt, morbos praecavere, quam ipſos curare. Ergo cum tot tantaque ſint diſcrimina in purgantium uſu, ſatius erit ab his abſtinere, neque ea niſi urgentibus caſibus propinare, ac perpetuo praedictis cautionibus id efficere.

CAPUT XI.

De Emeticis.

65 EMetica medicamenta, ſeu vomitoria ſunt: quae, *contenta ventriculi ſurſum in os per gulam projicere faciunt.* Eſt igitur vomitus: *Motus ventriculi ad liqui-*

da

(a) Hipp. *lib.* 2. *Aphor. ſent.* 9.
(b) Hipp. *lib.* 6. *Aphor. ſent.* 47.
(c) Hipp. *lib.* 4. *Aphor. ſent.* 5.
(d) Hipp. *lib.* 2. *Aphor. ſent.* 37.
(e) Hipp. *lib.* 2. *Aphor. ſent.* 12.

da in eo contenta per os expellenda. Mirum eſt, adeò in his noſtris regionibus ex Medicorum uſu exoleviſſe emetica medicamenta, ut penè jam de ipſis actum eſſet, ſi clariſsimorum quorundam in re medica virorum ſtudio, ac opera, non fuiſſent iterum noviter exſuſcitata; mirum inquam cum tempore Hippocratis ſolemne eſſet, vomitoria medicamenta bis in menſe pro praecautione aſſumere, eaque tam ſerio diverſis locis divinus Senex commendet, ut lib. 1. de Dieta, lib. 1. de Morb. mul. & alibi. Praeterea cum plures incurabiles morbi per alia remedia, omnibus jam fruſtra tentatis, unius emetici exhibitione foeliciter quandoque expellantur, neſcio equidem an vulgi ignari petulantia, an Medicorum aſſentatione nimia, ex medicinae ordine, in praxi ſint collapſa? Propterea ut Tyronibus pateat, ea ſaepiſsimè rectè exhibita aliquorum morborum curationem adimplere, ſicut praepoſterè propinata, innumera mala producere, ſelectiora ac ſecuriora emetica deſcribam, quibus conferant, aut non, aperiam.

66 Medicamenta emetica, vel ſunt ſuavia & benigna, vel fortia ac violenta. Prima ſunt quaecumque magna quantitate aſſumpta, quae ventriculum immodicè gravando, ad expulſionem per ſuperiora ſollicitant: ſic accidit in aqua calida magna copia ſumpta, hydraelaeo, cereviſia, & aliis; vel ea quae ventriculum immodicè laxando, lubricando faciunt, ut contenta, minima arrepta occaſione, facilè in ſuperiora ferantur, & vomitus excitetur. Hac ratione vomitum provocant oleoſa & pinguia, ut oleum amygdal. dulcium ſine igne extractum, quod ad uncias duas exhibitum blandè vomitum excitat. Huc pertinent etiam quaecumque externa, quae vomitus producere ſolent, ut penna oleo illita faucibus admota, digiti in gulam intruſi, & alia, quibus, irritatis nerveis fibris eſſophagi, & faucium, ad vomendum ventriculus cogitur. Ad hanc ſuavium emeticorum claſſem revocantur motus corporis inordinati, & inaſueti, ut navigatio, vectio in rhaeda, & alii: ac actus imaginationis, quibus adeò quandoque ventriculus commovetur, ut in ſtupendos vomitionis actus adigatur.

Se-

67 Secunda ſunt, quae vellicando, irritando, aut fibras ventriculi nerveas, plus quam par eſt, commovendo, vomitum cient. Talia ſunt ex regno vegetabili, tinctura nicotianae ex foliis vulgaris nicotianae ope ſpiritus vini rectificati parata. Doſis à drachm. j. ad ij. ſuccus recens expreſſus raphan. qui niſi intra horam integram ſumatur, vires amittit, ab uncia j. ad ij. raphani ſemin. ad unciam ſemiſ. anethi ſemina. ad unciam ſemiſ. verum haec nauſeam diuturnam poſt ſe relinquere ſolent. Helleborus albus ad gr. vi. fortiſsimum eſt vomitorium, non ita helleborus niger ad drachm. ſemiſ. radix aſari in ſuſtantia ad drachm. j. in decoct. ad unc. iij. folia gratiolae ad ſcrup. ij. ſedi vermicular. ad drachm. ſemiſ. Gutt. gamandr. (aliis gummi guttae) à gr. vj. ad xij. Verum praedicta medicamenta in uſu non ſunt apud Medicos, vel ob nimis fortia, vel ob inefficacia, atque rarò à cordatioribus Medicis praeſcribuntur. Eſt ergò in vegetantium claſſe emeticum, caeteris vel ex ipſo minerali regno deſumptis, excellentiur, radix ſcilicet hipecachuanae, Hiſpanis *Vejuquillo*, ab omnibus alio nomine *radix diſſenterica*, dicta, eò quod in diſſenteriis adhibeatur, nec ſolum in diſſenteria, verum & omni ſanguinis fluxu cum maſtiche, & balſamo judaico, ac Compaibae prodeſſe creditur. Qui hujus radicis origenem, & analiſim deſiderat, legat Petrum Pomet in ſua aromatum hiſtoria, Nicolaum Lemeri in Univerſal. Hiſtor. medicam. ſimplic. Jacob. Mang. Biblioth. Pharm. tom. 2. pag. 1143. Praeſcribitur haec radix ad drachm. j. in juſculo, aut alio liquore idoneo. Ex regno animali credunt aliqui ungues humanos, eorumque raſuram vomitum commovere: ita Zuinger. tom. 1. pag. 527. Verum ipſe cum Mang. tom. 1. pag. 811. crederem, id potius nauſea, quam ſpeciali virtute praeſtare. Ex regno minerali plura deſumuntur vomitoria apud Auctores Chymicos longè recenſita.

Aqua benedicta Rulandi ſeu vinum emeticum ab ʒ. ſ. *ad* ij. *Oxiſaccharum Angeli Salae à* ʒ. ij. *ad* ʒ. vj. *Mercurius vitae* (vel mortis) *in ſubſtantia à gr.* ij. *ad* iv. *in infuſo ad gr.* vj. *Gilla Theophraſtr. ſeu ſal vomi-*

mitivum vitriol. à ℈. ſ. ad ʒ. ſ. Tartar. emeticus à gr. iv. *ad* vj. *Vitrum antimon. à gr.* j. *ad* iij. *Vitriol. alb. à ℈. ſ. ad ℈.* ij. *Viride aeris à g. ſemiſ. ad gr.* ij. *Turpethum mineral. à gr.* ij. *ad* vj. *Ex quibus ſequentes formulae deduci poſſunt.*

R. *Aquae tepidae* ℔. ij. *ol. amyg. dulc. ſin. igne extract.* ʒ. ij. *me. pro hauſtu.*

R. *Pulv. hipecachuan.* ʒ. j. *ſumatur in juſculo.*

R. *Tart. emetic. gr.* iv. *ſumatur in hauſtu aquae commun.*

R. *Aquae bened. Ruland.* ℥. ij.

R. *Sal. vitriol. ℈. ſ. diſſolv. in aquae* ℥. iij.

R. *Mercur. vit. gr.* iv. *conſerv. roſar. q. s. fiat boluſ.*

R. *Rad. aſar.* ʒ. iij. *agaric. alb.* ʒ. j. *ſemin. urtic.* ʒ. ij. *flor. geniſt. pug.* j. *fiat decoct. in aqua hord. ad* ℥. viij. *colatur. exhibeat. &c.*

68 Hic obiter monendi ſunt Tyrones, ut quantum poſſibile ſit, ab emeticis mineralibus fortioribus abſtineant, in hac potiſsimum regione, quia non niſi ſumma violentia purgant, antimonialia praeſertim (ſi tartarum emeticum excipias qui ſat tuto vomitum excitat) à quibus abſtinendum enixè rogat. Fuller. pag. 90. Tench cap. de Emetic. Fridericus Dekkers pag. 92. Satis ergò ſunt ad omnes indicationes vomendi implendas *radix diſſenterica, oleum amygd. dulc. in juſculo aut aqua tepida, aqua benedicta Ruland. & tart. emetic.*

69 Circa modum, quo operantur hujuſmodi medicamenta, ſatis vulgaris eſt opinio Galenicorum aſſerentium, fieri per facultatem expultricem irritatam, qua ventriculus quidquid ſibi noxium eſt, expellit, ea tamen lege, ut irritatio, quae ad vomitum requiritur, fieri debeat in orificio ſuperiori ventriculi, ſicut ad alvi fluxum excitandum, oportet, ut irritatio fiat, vel in fundo ventriculi, vel inteſtinis. Neoterici circa emeticorum operationem, non niſi ſyſtemata nimis

mis generalia adducunt, neque quidquam tradunt notatu dignum, quod obſervationibus practicis innitatur, propterea ab ejus opinionibus tradendis ſuperſedendum duximus. Igitur Galeni doctrina circa emeticorum operationem vera eſt, ipſique ſolum addendum, quod in medicamentis emeticis ſpecialis adeſt particularum diatheſis, nobis *à priori* incognita, quae ex ſe capax eſt irritandi orificium ſuperius ventriculi, & ipſum ad inverſos motus adigendi.

70 Tandem ſolum reſtat, propoſita emeticorum operatione, ut quibus conveniant, & in quo morbo, explicemus. Omnibus febribus intermittentibus convenire, omnes ferè Auctores Neoterici cum Hippocrat. & Galeno teſtantur, imò multiplici experimento conſtat, ſolius interdum emetici exhibitione, omnibus fruſtra tentatis, fuiſſe integrè ſanatas, quod longius oſtendimus tractatu de Febribus. In febribus acutis, ubi pravi preſertim humores in primis viis redundant, adeò neceſſarium judicat emeticum Sydenhamius, ut niſi maturè adhibeatur, in ſentinam quamplurium malorum, ut ejus verbis utar, pag. 57. ſint abituri. Verum obiter notandum in pluribus acutis febribus propter ſanguinis orgaſmum, & ipſius acres particulas in ventriculo immorantes, vomitus aliquando excitari, unde judicantes plures Medici eo ducendum, quo natura vergat, ex doctrina divini Senis, ob pravè detortam eam ſententiam, emetica exhibent, quibus miſeri aegri, quouſque animam evomant, vomere non deſinunt, quapropter ſedulò animadvertendum, in his febribus eos vomitus à ſanguine nimis aeſtuante productos, potius venae ſectionem, quam aliud quidpiam indicare. Idem dicendum de Pleuritide, quae licet à vomitu frequenter incipiat, vomitorium non indicat, imò venae ſectiones moderatè praeſcriptas, quod de omnibus inflammationibus intelligendum velim,

71 In apoplexia, pituitoſa praeſertim, & fortia cathartica, & vehementiora emetica praeſcribenda, quippè omni opera incumbendum, ut fibrae profundo illo ſomno conſopitae, validè expergefiant, & motum ſuum ferè deperditum iterum excerceant, imò noſtrates Medici, foelici quando-

doque eventu, emetica, & cathartica mixta, ſimul pro hauſtu propinant, ut vel per vomitum, vel alvi fluxum, à ſomno adeò moleſto excitentur. Inſuper ſat apud Auctores practicos videre poſſunt Tyrones, quibus morbis emetica conveniant; innuere tantum ſufficiat, in omnibus morbis à repletione ventriculi, vel depravata coctione & digeſtione naſcentibus, praeſtantius non eſſe remedium, ut praeter alios latè explicat Galen. in Method. med. ad Glaucon. contrà autem cane pejus, & angue fugienda in phthiſi, hectica eſſentiali, hydrope, angina, quidquid Riverius pro ea curanda laudet *aquam benedictam Rulandi*, cap. prop. de Ang. & aliis hujuſmodi. Praeterea nec conveniunt emetica gravidis, puerperis, hernia affectis, nec hominibus valdè carnoſis, nec his qui anguſto ſunt pectore; his enim omnibus inſigne detrimentum ex vomitu ſequi ſolet, quod plures, ob vanas quorundam Medicorum hipotheſes, ne dicam audaciam, miſerè lugent. Aptiores ergò ſunt ad vomendum graciles, natura bilioſi, ſtomacho robuſto praediti, ad vomendum aſſueti, quibus pectus amplum, & latum eſt, aliique ſimiles, qui minus vomendi illo conatu moleſtantur, quae omnia ex ſolidiſsima Hippocrat. magni doctrina deſumpta, à multis Auctoribus, quos hic brevitatis gratia non adduxi, ſeduló recenſentur. Id pro coronide dicendum reſtat, tàm purgantia, quàm emetica matutino tempore eſſe praeſcribenda, excepta apoplexia, aliove urgenti caſu, quo, qualibet hora, ipſa neceſſe ſit propinare. Adhibito autem purganti aeger ſinendus eſt, donec duabus aut tribus horis tranſactis juſculum aſſumat. In emetico autem obſervandum, ut eo adhibito dum aeger vomere incipit, aut aqua tepida, aut juſculum ei praeſcribatur, quouſque iterum evomens, aut aqua tepida, aut juſculo iterum diluatur, idque toties repetendum, donec actus vomitionis ceſſaverint.

CAPUT XII.

De Diureticis.

72 DIuretica ea dicuntur medicamenta, *quae aquoſos humores per urinas expurgant.* Alia ſunt propria, ea ſcilicet, quae humores fundendo, liquando, & ſolvendo, ac fibras renum ſtimulando urinas cient. Alia impropria, quae vel ſeroſos humores augendo, diluendo, parteſque laxando, aut alio quovis modo, urinas movent. Inter impropriè diuretica enumerandae veniunt emulſiones, aperientia medicamenta, laxantia, & nephritica, de quibus ſuperius loquuti ſumus. Propriè diuretica ſunt *radic. apii, eriſim. brioniae, ononid. petroſel. raphan. virg. aur. ſaxifrag. Fol. veronic. heder. terreſtr. chaerefol. urtic. naſturc. matricariae, quae in renum affectibus, omnes longè ſuperat. Flor. bellid. viol. geniſt. Semen hiper. violar. millii ſol. bacc. juniper. alkekeng. amygd. amar. Nuclei perſicor. gumm. ammoniac. ſuccin. therebent. & ex ea parata remedia. Lapis percar. ocul. cancr. lumbrici terreſtr. pp. aſelli ſeu milleped. pp.* Cantharides veſicae ſpecialiter infenſae creduntur, eis proinde non niſi ſumma cautela utendum, ac non niſi in caſu deſperato, omnibus jam fruſtra tentatis, ſunt praeſcribendae, & quidem mixtae illis medicamentis, quae ejus acrimoniam coercere valeant.

R. *Cantharid. pulv.* ℈. j. *infund. in vin. Rhenan.* ℥. iij. (*vel ſi mavis in vino albo, aut ſpirit. vini*) *ſtent in infuſione per aliquot dies, deindè per chart. bibul. filtrentur. Excolatur. cochlear.* j. *ſeptem aliis vini cochlearibus mixtum exhibeatur.*

73 Inter diuretica pariter numerantur, *ſpirit. ſal. nitri vitriol. & ſulphur. cremor. tart.* tinct. tartar. ſpirit. vitrioli dul-

dulcis, ſpiritus therebentinae, ſal ſtipit. favar. ſuccini, pulv. ſcorpionum, bufonum, & alia quae ſuperius adducta ſunt ad humores pituitoſos praeparandos, ex quibus variae fieri poſſunt remediorum formulae. Inter ea, quae ab Auctoribus adducuntur, praeſtant aqua antinephritica Minſich in armamentar. Medico Chymic. pag. 328. aqua ſeu eſſentia nephritica Joann. Zuvelfer. Pharmacop. Reg. pag. 897. Decoctum nephriticum Foreſt. ſupra deſcriptum. Decoct. diuretic. Full. Pharmacop. extempor. pag. 40. Optimus eſt pulvis diureticus Rolfincii.

R. *Ocul. cancr. pp. ſang. hirc. pp. anà* ʒ. j. *ſ. lapid. judaic. nephrit. anà* ʒ. j. *ocul. lucii piſc. ſemin. mil. ſol. anà* ℈. ij. *criſtal. tart.* ʒ. *ſ. ſal.* ℈. j. *me. fiat pulvis.*

74 Dicta medicamenta conferunt in pluribus morbis chronicis, in quibus materia craſſa eſt attenuanda, viae reſerandae, & ſeroſitates à corpore extrudendae, cum hoc diſcrimine, ut ſi aeger fuerit temperamenti bilioſi, viſcerum intemperie calida gaudeat, aut febre cum atrophia comitetur, fugienda ſunt nimis calida, & moderatè calidis aperientibus, cum diluentibus mixtis utendum eſt. Proindè in uſu ſunt in hydrope, cui praeter alia ſpecificè prodeſt Vicentoxicum ex obſervatione Nenter pag. 264. & Mang. Bibl. Pharm. tom. 1. pag. 732. & flores liliorum pallidorum in formam conſervae cum melle, menſe Majo collecti, qui non modo per urinas, ſed per alvum potentiſsimè aquas educunt. Doſis cochleare unum, aut duo, ſuperbibendo hauſtulum aquae graminis, aut alterius ſimilis. In ictero etiam conveniunt, cui praeter dicta ſpecificè prodeſt *aqua ex albo albi*, ex albumine ovi cum aqua florum camomill. parata, ejus deſcriptio habetur apud clariſsimum Lucam Tozzi cap. de Icter.

75 Inſuper in febribus intermittentibus eradicatu difficillibus, adeò commendantur à Riverio, ut febres, quas caetera medicamenta ſanare non potuerunt, ex ejus mente,

decoctum diureticum ſaepiſsimè curet. Sed Auctor hic fermè nihil naturae, ſed omnia remediorum farragini tribuit. Similiter ulcera, & obſtructiones partis gibbae hepatis per urinas curari docuit Galenus lib. 13. Method. medend. cap. 15. Praeterea in empyematicis, aliiſque pectoris morbis, convenire diuretica docuit Hipp. & experientia confirmare videtur, eò quod diſuria aſthmati ſuperveniens utilis ſit, & ab omnibus practicis celebretur. Verum non omnia diuretica morbis pectoris ſunt appropriata, praeſertim acida, quae thoraci ſunt inimica; imò non modo pectoris morbis, ſed & aliis quibuslibet ſecurius praeſcribuntur prae reliquis vegetantia in noſtro precipuè climate, de quo dicere poſſumus, quod Baglivius de ſuis Romanis agens de bile, pag. 274. plus ſcilicet in curatione morborum prodeſſe remedia ex vegetabilibus deſumpta, quam omnia quaecumque inventa, ex chymiae furnis deprompta, quod ſedulò notent, qui arcana pro quolibet, etſi minimo morbo, ſtatim jactant, & ore pleno vociferant. Nec opus eſt in praeſenti vias, per quas ex pectore ducuntur humores ad urinas, explicare, quia praeterquamquod cultri Anatomici aciem fugiunt (quidquid in contrarium velint aliqui) eas optimè natura ſcit, & per vias ſoli ipſi notas, dictos humores expellit. Tandem in diureticis adhibendis, memoria tenendum eſt, quod diximus cap. de Nephriticis, & cum cautelis ibi appoſitis praeſcribantur, hoc unicum addendo, in ulcere ſcilicet renum, & veſicae, nullo modo eſſe adhibenda, quippè ut optimè notat Galen. humor educendus non eſt per partem affectam.

76 Ex dictis facilè deducunt, qui occulta naturae opera intelligere gloriantur, diureticorum operandi modum, non uno enim, & eodem modo operantur, ſed diverſo; alia enim diureſim movent, aqueos humores ſuppeditando, & acres liquidorum ſales diluendo, ut emulſiones, aperientia frigida, & ſimilia; alia, ſerum ſanguinis praecipitando, ut acidum limonum, ſpiritus vitrioli, &c. quaedam ſanguinem fundendo, & ſolvendo, ut cantharides, millepedes, & alia; quaedam laxando fibras criſpatas, ut oleum amygd. dulcium

ſi-

ſine igne extractum, & alia emollientia; quaedam denique craſſos humores attenuando, & fibris naturale robur inducendo, diuretica ſunt, ut radix petroſelini, & alia aperientia non nimis calida, & ſic de reliquis. Verum haec omnia, ſi ut facilè dicuntur, pari facilitate probari accuratè poſſent, ambabus ulnis amplecteremur; ſed cum ex hominum arbitrio, non ex Naturae praeſcripto educta ſint, merito de his dubitamus, atque diviſionem diureticorum in propria, & in impropria quam ſuperius adduximus, non ex animi ſententia, ſed ex mente communi Auctorum obtulimus: nos enim credimus nulla eſſe medicamenta verè, & propriè diuretica, hoc eſt, quae ex ſe virtutem habeant urinas movendi, nam id experientia non conſtat, neque videmus applicatis medicamentis diureticis, certo ſequi effectum, quemadmodum in purgantibus, quapropter per accidens, ut dicitur, operationem ſuam exercent, atque adeo impropriè tantum ſunt diuretica.

CAPUT XIII.

De Sudoriferis, & Diaphoreticis.

77 NON ſunt confundenda ſudorifera cum diaphoreticis, haec enim ſunt quae perſpirationem inſenſibilem augent: illa verò, quae madorem ſenſibilem per cutim exhalare faciunt. Diaphoretica ſunt ea omnia quae calorem corporis augent, dummodo cutem atque corporis ſuperficiem non occludant neque conſtringant, ut excercitationes, equitationes, balnea, & id genus alia; ſed nimium calida & ſpirituoſa medicamenta interius aſſumpta, ut ſpiritus, eſſentiae &c., tam longe abeſt ut tranſpirationem augeant, ut potius prohibeant, corpus enim & viſcera calefaciendo cutim ſiccant, partes ſolidas urunt, & ad halitus liberè emittendos ineptiores reddunt. Videndus Sanctorius in ſtatica medicina, qui omnium optimè tranſpirationis leges perſequutus, quamquam non omnia quae ab eo traduntur in-

indiſcriminatim ſint recipienda, cum tranſpirationi nimium tribuat, & aliqua hypotheſi, plurima theoria, non veris obſervationibus, fulciantur.

78 Medicamenta, quae ſudores movere creduntur, ſunt praecipuè: *radic. angelic. contrahierv. chinae, imperatoriae, viperinae, valerianae, zedoariae, enulae. Fol. card. benedict. ſcabioſae, ſcordii, cochleariae, centaurae minoris. Flores calendulae, papaver. rheas, borraginis, bugloſſae. Lignum guajacum, ſaſſafras, juniperi, ſalſaparrilla. Raſura eboris, c. c. pulvis mandibulae lucii piſcis, pulvis Unicornu, ſanguinis hirci pp. lapis bezoardicus orientalis, & occidentalis, Bezoardicum animale, antimonium diaphoreticum, bezoardicum minerale, camphora, aqua theriacal. Crol. ſal volatile viperarum, cornu cervi, urinae, ſal ammoniacum, ſpiritus fuliginis, c. c. ſalis ammoniaci, ſang. humani, urinae, & alia volatilia, ſpirituoſa, ſubtilia, attenuantia in ſuperioribus jam ſatis repetita.* Decoctum ſacrum Fuller pag. 55. optimum ſudoriferum eſt.

R. *Rad. ſerpentar. virginian. contuſ.* ʒ. vj. *coq. in aquae font.* ℔. j. *ad* ℔. *ſ. col. & magmati reſiduo affunde de novo aquae* ℔. j. *rurſum coque (ſub medium coctionis addendo coccinel.* ə. *ſ.) ad* ℔. *ſ. col. iterum: utraſque colaturas miſce, iiſque diſſolv. calidè, & clausè mellis* ʒ. j. *cola, & ſerva.*

79 Hoc decoctum, in febribus malignis cum coagulatione, dyarrhaea praeſertim ſymtomatica ſtipatis, caetera quecumque antecellit.

R. *Antimon. diaphoret.* ə. j. *ſpirit. c. c. gs.* viij. *camphor. gr.* ij. *ſirup. papaver. rubr.* ʒ. j. *aquae card. bened.* ʒ. iij.

80 Plures aliae fieri poſſunt ex dictis medicamentis formulae, jam ſat ſuperius adductae, & infra tract. de Febrib.

lon-

longius adducendae, utiles, ut creditur, in omnibus morbis à nimia humorum concretione naſcentibus, quibus natura per ſudores ſolita eſt expurgari. Verum in principiis acutorum morborum, in inflammatoria ſcilicet ſanguinis diatheſi, cane pejus, & angue fugienda ſunt, ut longius oſtendimus tractatu de Febribus. Sed obſervare licet, haec omnia ſupra adducta ſudorifera, quantumvis larga doſi exhibeantur, ſaepiſsimè ſudores non movere, imò eorum calore, & ſanguine magis coagulato, ut ſupra probavimus, & fibris magis tenſis & induratis, viae eliciendo ſudori occluduntur, quod noſtris regionibus, ut plurimum accidit; conveniunt potius popularibus noſtris levia ſudorifera, quae aut partes laxando, cutiſque poros aperiendo, aut acres liquidorum particulas obtundendo, & diluendo, aut liquida verſus circumferentiam ablegando, ſudores movent, qualia ſunt balnea, frictiones, decoctum the, aut papaver. rubr. calide ſorbillatum: imò ex largo aquae frigidae hauſtu, ſudores copioſiſsimos cum levamine patientum obſervamus, quos, omnibus jam dictis volatilibus medicamentis, aſſequi fortaſsè non potuimus.

81 Tandem, ſciendum eſt, bezoardicum animale praeſcribi pro una doſi ad ſcrup. j. mineral. ad ſcrupul. ſ. utrumque lapidem bezoardicum ad gr. vj. reliquorum verò ſudoriferorum doſis jam ſatis ex ſuperioribus innoteſcit. Circa operationem medicamentorum ſudorificorum idem dicendum eſt, quod de diureticis, nam medicamenta, vi propria & ſpeciali ſudorem moventia, nulla dantur, & omnia quae in hoc capite propoſita ſunt ſudorifica, impropriè tantum, & per accidens talia dicenda ſunt.

CA-

CAPUT XIV.

De Clysteribus.

82 CLyster est: *Medicamentum per sedem injectum ad deponendas potissimum intestinorum impuritates, aliosque usus institutum.* Liquor per siphonem injectus, sursum aliquo modo fertur, donec ipse irritans, motum intestinorum naturalem auget, & excitat ea, ut ipsum simul cum excrementis expellant. Nec solum ex intestinis evacuant, sed ex toto etiam corpore, ut longè probat Galen. & experientia confirmat, equidem in apoplexia, nephritide, angina, & aliis morbis plurimum juvare solent. Non modo ad deponenda primae regionis excrementa, verum ad alterandum, imò & ad nutriendum saepissimè juvant. Judicamus igitur particulas alibiles minimas intestinis clysteris ope communicatas, exindè sub vaporum forma sanguini, & partibus solidis communicari easque nutrire; eodem modo quo, dum quis nimis famelicus est, & debilis, jusculo solum assumpto, plurimum roboratur, antequam id in chilum converti possit, per particulas scilicet minimas, ex ventriculo in sanguinem transmissas, & partibus corporis translatas ad citam refectionem.

Enema nutriens.

R. *Juris carnis ariet. & capon.* ℥. iv. *vini optimi* ℥. ij. *pan. tritic. exsiccat. & pulv.* ℥. *ſ. vitell. ovor. num.* ij. *me. fiat enema.*

83 Hoc enema in angina, dum aegri nihil, nisi magno suffocationis periculo deglutire valent: in apoplexia, paralisi linguae, aut aliis hujusmodi morbis, tepidum injiciendum,

dum ; & quantum fieri posit , in intestinis retinendum ; imò pauca quantitate praescribi debet , ut diutius servetur , & repetendum est , prout necessitas postulaverit.

Enema commune.

R. *Decoct. herbar. emollient.* ℔. j. *olei commun. & mell. anà* ʒ. j. *sal.* ʒ. ij. *me.*

84 Hic clyster à mulierculis ut plurimum elaborari solet in quolibet casu , quo intestina sint à faecibus deprimanda. Addi potest , si majori stimulo opus est , benedicta laxativa , confectio de bacc. lauri ad uncias duas , oleum absinth. ac rutaceum ad unc ij. s.

R. *Decoct. capit. & intestinor. vervec.* ℔. j. *ol. amygdal. dulc.* ʒ. ij. *pulp. cass.* ʒ. j. *me. pro enemate. Calidum administretur.* Vel

R. *Herb. malv. pariet. mercurial. anà manip.* j. *flor. camomill. pug.* j. *fiat. decoct. pro enemat. ad* ℔. j. *cui adde ol. lin.* ʒ. ij. *sacchar. rubr. parum , me.*

85 Haec enemata conferunt in dolore ileo , colico , nephritico , aliisque morbis , in quibus acris materia demulcenda , fibrae laxandae , & flatus expellendi. Si dolor nimium urgeat , eis addi potest laudanum liquidum ad gs. xvj. Si simul in animo sit , emollire , laxare , & humores educere , addi possunt pulpa casiae , benedict. laxativa , mel mercurial. & alia hujusmodi.

Clyster carminativus.

R. *Flor. camomil. baccar. laur. anà* ʒ. *s. semin. fenicul. anis. anà* ʒ. j. *herb. absinth. manipul.* j. *coq. ad* ℔. j. *in vino , adde ol. absinth.* ʒ. j. *me.*

86 Hoc enema commendatur in hypochondriaca, & hysterica affectione, ad flatus expellendos, in colica flatulenta, & aliis. Sedulò nota, an colica sit convulsiva cum nimia scilicet tensione intestinorum, & messenterii conjuncta, nam in tali specie colicae carminantia, & purgantia aegros in mortem ducunt, aucta magis eorum ratione praeternaturali fibrarum crispatura; praescribenda potius tunc sunt laxantia, emollientia, & anodina, quae dicto morbo specificè occurrunt. Nec, dum Medici tensiones hypochondriorum, & ventris in febribus, aliisque morbis inspiciunt, statim confugiant ad carminativa, id à flatibus provenire judicantes, quippè aliquando fit à materia acri fibras pungente, easque praeter modum crispante, unde totius abdominis tensio subsequitur.

Enema apoplecticum.

R. *Rad. pirethr.* ʒ. *s. herb. rut. manip.* ij. *pulpae colocinthid.* (*in nodulo*) ʒ. *s. coq. ad* ℔. j. *colat. adde vini emetic.* ʒ. ij. *me.*

87 Ad omnes soporosos affectus optimum est. Quod si propter musculi sphincteris paralisim, ac motum deperditum, ut saepè accidit, parum detineatur, iterum, & iterum est repetendum.

Enema è 4. oleis Fuller.

R. *Ol. lin. ol. camomil. anà* ʒ. vj. *ol. scorp.* ʒ. ij. *ol. therebent.* ʒ. ij. *me.*

88 Ad calculum, & arenulas in ipso doloris nephritici paroxismo pellendas optimum, & nulli secundum medicamentum.

Enema dulce.

R. *Lact. vaccin. recent.* ʒ. vj. *mell. optim.* ʒ. ij. *me.*

Ene-

Enema amarum.

R. *Radic. ſerpent. virginian. contuſ.* ʒ. j. *pulpae colocinthid.* (*in nodulo*) ϑ. j. *herb. tanacet. ſumitat. ſabin. anà manip. ſ. fiat decoct. ad* ʒ. viij. *colat. adde ol. abſinth.* ʒ. j. *me.*

89 Haec enemata ad lumbricos praeſcribi ſolent, ea tamen lege, ut prius enema dulce ad ipſos alliciendos, poſtmodum amarum ad enecandos injiciatur. Sed haec vana ſunt, quippè ex certis, & indubitatis obſervationibus à Franciſco Redi factis, conſtat lumbricos humani corporis ab amaris medicamentis minimè laedi, à quibuſdam dulcibus offendi quam maximè, quapropter vigentibus lumbricis, ſatius erit enema dulce praeſcribere, ipſumque, prout opus fuerit, repetere, niſi adſit indicatio roborandi inteſtina & putredinem corrigendi, quo in caſu enemata pro re nata varia eſſe debent.

Enema febrifugum.

R. *Cortic. peruvian. pulv.* ʒ. j. *ſal. tart.* ʒ. j. *coque in* ℔. iij. *aquae flor. camomil. ad* ℔. j. *colaturae ſine expreſſione adde ſacchar. parum me.*

90 Hic clyſter in febribus quibuslibet intermittentibus tollendis optimum eſt remedium; praeſcribi incipitur, finito paroxiſmo, & ſaepius repetitur ad alium uſque, donec febris, aut tollatur, aut minuatur. Hoc remedii genus praeter alios adducit Helvetius Medicus Pariſienſis, qui de hac corticem praeſcribendi methodo integrum librum conſcripſit. Ego, experientia adoctus multiplici, hoc medicamentum tamquam utiliſsimum & ſecuriſsimum commendo, non ad febres intermittentes tantum, ſed ad continuas, quae quovis modo tertianarum naturam ſapiant.

Clyſter Anodinus.

R. *Decoct. inteſtinor. vervec.* ℔. j. *vitell. ovor. num.* ij. *balſam. Lucatell.* ʒ. *ſ. ſaevi hircini* ʒ. ij. *me. Uſurpetur calidè antequam ſaevum concreſcat.*

Optimè confert ad tormina, & cruciatus ſedandos in dyſſenteria, &c.

91 Fieri poſſunt diverſae clyſterum formulae pro varia Medici intentione, ut clyſter ſomniferus ex opio in aquâ papaveris diſſoluto, modica tamen doſi. Tempus opportunum ad enemata accipienda eſt diverſum, pro diverſitate morbi, & Medici intentione. Id tamen ſciant Tyrones, in principiis acceſsionum febrium non eſſe adhibendos, quippè perturbando naturam, eas ſolent immodicè prolongare.

92 Huc pertinent ſuppoſitoria, quae ſunt medicamentum ſolidum filo ligatum inſtar torundae, & medicamentis aliquibus pro variis finibus conſarcinatum.

Suppoſitorium commune.

R. *Pulv. aloes, hier. picr. anà* ʒ. *ſ. mell. & ſalis q. s. fiat ſuppoſitor.*

Suppoſitorium irritans in ſoporoſis affectibus.

R. *Pulv. agaric. trochiſchor. alhandal anà* ʒ. j. *hellebor. nigr.* ʒ. *ſ. ſal gemmae, nitri anà* ə. j. *mellis quod ſat. fiant duo ſuppoſitoria.*

93 Eodem modo fieri poſſunt ex aliis medicamentis, pro varia Medici intentione. Suppoſitoria, & clyſteres non ſunt applicanda his, qui haemorroidibus, ſiccis praeſertim, laborant, nec his qui hernia afficiuntur; minus praegnantibus, & puerperis; parciori copia in pueris, & ſenibus, quibus

bus potius ſuppoſitoria, quam clyſteres conveniunt. Neque omittendum, nimium frequentem clyſterum uſum nemini conferre, quia inteſtinum rectum debilitant, ſimulque totum corpus, indeque non rarò fit, ut in eo inteſtino partibuſque vicinis formentur abceſſus, variique humorum fluxus periculoſiſsimi.

CAPUT XV.

De Anodinis, & Veſicantibus.

94 CUM corpus humanum, innumeris ſubjectum laboribus, praeter alia ſatis vehementia, quibus affligitur, ſymptomata, *dolore*, omnium aliorum ſymtomatum longè excedente ſaevitiam, hinc, indeque moleſtetur, ne quid divinae arti noſtrae pro humani generis ſubſidio deficeret, medicamentis uſa eſt anodinis, narcoticis, hipnoticis, ad dolores ſedandos utiliſsimis, quae licet ad eos levandos omnia conducant, aliqua ratione differunt nihilominus, quoad modum quo dolorem auferunt & vires eorum: alia namque dolores mitigant ſolida laxando, & acres liquidorum particulas obtundendo, ut emollientia, & laxantia, v. g. *balnea*, *fotus herbarum emollientium*, *lac*, *crocus*, *& ſimilia*, haecque à Medicis magis propriè *anodina* dicuntur; alia dolores auferunt ſomnum inducendo, ut *opium*, *papaver. &c.* & haec hypnotica; alia, ſenſum partis obſtupefaciendo, ut *hioſciamus*, *mandragora*, *ſolanum*, *cicuta*, & hujuſmodi alia, quae extrinſecus applicata ſenſum obtundunt: interius verò aſſumpta ſomnum profundum creant, quae *narcotica* vocantur. At caetera omnia medicamenta, & ad ſomnum conciliandum, & ad dolores tollendos opportuna, longè antecellit opium, & medicamenta ex eo compoſita, Laudanum ſcilicet opiatum Helmontii, aut Quercetani, ac Laudanum liquidum Sydenhamii, quibus rectè adminiſtratis, adverſus innumeros morbos ſtrenuè quilibet Medici pugnare poſſunt. Nec opus eſt in praeſenti naturam

opii,

opii, ejuſque operandi modum inquirere, quippè id eſſet tractatum hunc ferè in infinitum extendere, rebuſque hactenus incertis nec bene diſcuſsis operam perdere; at ſi per otium liceat mentis humanae hypoteſibus addictae inconſtantiam inquirere, conſuli poſſunt Etmuller. in celebri diſſert. *de Vi opii diaphoret.* Mang. in ſua *Opiologia*: Hoffmanus in diſſertatione de hoc argumento, & alii; obiter innuere ſufficiat, opium, nec eſſe frigidum, nec frigiditate operari, ut pluribus creditum, ſed imò calidum, & ſulphure craſſo & foetido conſtitutum, ut teſtatur ejus amaritudo, inflammabilitas, acrimonia, aliaque in opio exiſtentia, & ejus calorem potius quam frigiditatem demonſtrantia, quod latè probat Heredia tract. *de Morb. acut.* cap. *de Apoplexia*, & noviſsimè Geofroi teſtatur. Laudanum ergò opiatum, ſeu extractum opii, fortius multò operatur, quam liquidum; hoc propterea praeſcribi poteſt ad gs. xx. illud ad ſummum & in caſu magnae urgentiae ad grana duo, aliter autem ad granum ſemiſ. licet Riverius cap. de Choler. morb. ſatis temerè ad grana iv. praeſcribat. Conveniunt ergò opiata in omni dolore ſedando, in fluxionibus detinendis, in quibuſlibet fluxibus ſiſtendis, in effrenato ſanguinis, & liquidorum motu ſtrangulando, in hyſtericis paroxiſmis tollendis, in febribus exacerbationibus eliminandis, ac denique innumeris aliis, graviſsimiſque morbis, & ſymtomatibus corrigendis.

95 Verum notent Tyrones, ſemper in caſu doloris ſedandi, & ſomni inducendi, incipiendum eſſe à levioribus anodinis, ut pediluviis, balneationibus, aliiſque hujuſmodi, quibus non proficientibus, & dolore nihilominus magis moleſtante, ad opiata tranſeundum, ea vel in pillulis, vel potionibus morbo appropriatis miſcendo, incipientes à leviori doſi, & ſenſim eam augendo, uſque quo, aut dolor leniatur, aut ſomnus concilietur; numquam tamen doſis ſuperius praeſcripta excedenda. Praeterea ſi fieri poſsit, ideſt, ſi dolor nimis non urgeat, praemittantur evacuationes humorum juxta morbi indolem & exigentiam, antequam opiata praeſcribantur; aliter enim dolorem tollunt, aliud ma-

lum

lum forte periculosius productura. Verum si dolor adeò affligat, ut aeger inquietudine magna, viribus immodicè deficientibus, laboret, tunc sat tutò, urgentiori malo occurrendo, praescribuntur. Insuper in destillationibus acribus, salsis, & tenuibus, unicum solent esse remedium post evacuantia praemissa; attamen advertant Tyrones, si materia multa impacta sit in pulmonibus, eaque levem difficultatem spirandi producat, tunc medicamenta appropriata superius adducta, prius esse offerenda ad materiam in pectore existentem educendam, & postmodum prescribantur opiata; aliter enim haec materiam illam in pulmonibus magis, ac magis incrassant, & ejus motu impedito, ibidem diutius stagnans majorem spirandi difficultatem producit, quod ipse sedulo observavi. Insuper pueris, & senibus minori dosi sunt exhibenda, quippè vis vitae parum vegeta in ipsis, eorum nimium usum non permittit. Similitèr numquam viribus debilibus existentibus propinentur, quia vires magis dejiciunt, & aegrum in ruinam ducunt. Quapropter Tyrones moneo, ut magnis vigentibus doloribus, aut immodicè fluentibus liquidis (quibus duobus affectibus tamquam arcanum occurrunt opiata) semper omni cura animum dirigant ad vires, & interim quantum fieri possit, dolores sedent per opiata, pro quo fine misceri haec solent in potiunculis, pillulis, aut aliis hujusmodi formulis, ex medicamentis vires recreantibus constitutis, ut utrique sic indicationi satisfaciendo, omni malo strenuè occurrant. Ut vero facilius rem tanti momenti accuratè agant, omnia officinalia, quae opio, solano, hyoscíamo, cicuta, papavere componuntur, ad amussim calleant, ut theriacam, Mitridatium, philonium, diascordium Fracastorii, pillulas Storkii, trochiscos de Karabe, syrupos de papavere, de opio & succino, &c. sic enim fiet, ut aegris ea dent medicamina cum cautionibus necessariis, secluso penitus ex ignoratione quovis discrimine. Nec omittendum, novissime Storkium Vindobonensem Medicum non modo cicutam, sed hyoscíamum, aconitum, solanum, hactenus inter venena recensita, tamquam innoxia orbi Medico attulisse. Miteris hominis ingenium in re-

rebus adeo lubricis occupatiſsimi. Sed cum hodierni medici magnam partem in nova quaevis ſint propenſi, hinc factum, ut eorum plurimi ambabus ulnis ea medicamina, etſi pernicioſiſsima, aegris tamquam caelo delapſa propinaverint. Cordatiores tamen, non inter noſtrates tantum ſed inter exteros, imò & inter Germanos, ab his applicandis abſtinent, cum unius hominis auctoritas paucis aut fermè nullis fundamentis, iiſque lubricis, ſtabilita non ſatis ſit ad venena aegrotantibus praeſcribenda.

96 Quod ad veſicantia ſpectat, ea ſunt medicamenta, quae cuti applicata, ſua acrimonia, eam in bullas elevant, & lymphaticam ſubſtantiam educunt. Hippcrates, & Galenus medicamenta veſicantia nuſquam, quod ſciam, adhibuerunt. Poſteriores Graeci ea applicuerunt ad varios morbos ſanandos, credentes ipſorum operationem conſiſtere in forti attractione, revulſione, & ſeroſi humoris evacuatione. Recentiores vero ea omnia improbantes, ſtatuunt particulas veſicantium in ſanguinem introductas, eum commovere, & diſſolvere, eoque modo effectum ſuum producere; ſed ut ingenue loquamur, fateri cogimur, effectus attractionis, & revulſionis, & evacuationis noſtris ſenſibus patere, quod vero humores coagulatos diſſolvant, nobis obſervationibus non conſtare, atque adeò, quae à Neotericis dicuntur hac de re, inter ſyſtematica, incerta, & parum fida referenda. Id igitur certum, veſicantia medicamenta opportunè applicata in quibuſdam morbis mirificos effectus producere, praeſertim in difficultate ſpirandi, fluxionibus à capite, aliiſque hujuſmodi affectionibus. Nec ſolum cruribus, ſed ipſi thoracis regioni, quorumdam Graecorum more, applicare ea oportet in aſtmate, & ortophnoea, nam veſicantia in his morbis, applicata in parte poſteriori thoracis inter ſcapulas, naturam quam optimè juvare ſolent. Utilia ſunt in apoplexia, epilepſia, hemicrania, opthalmia inveterata, comate, omnibuſque aliis affectibus ſoporoſis, pleuritide, febribus malignis cum coagulatione, aliiſque hujuſmodi morbis, in quibus humores revellendi, attenuandi, movendi: ſecus verò, nocent in febribus ardentibus, malig-

lignis cum diſſolutione, in delirio, aliiſque morbis, in quibus ſanguis nimis incaleſcit & agitatur.

R. *Maſſ. emplaſtr. veſicant.* ʒ. ij. *cantharid. pp.* ϑ. *ſ. cum acet. acri fiant duo veſicatoria ad formam bolae manus.*

R. *Pic. burgund. therebintin. venet. anà* ʒ. iij. *cantharid. pp.* ʒ. j. *me. fiant duo veſicantia.*

R. *Cantharid. in acet. maceratar.* ϑ. j. *zinziber. piper. alb. anà* ϑ. *ſ. pulv. majoran.* ϑ. j. *ferment. acerrim. q. s. fiant duo veſicantia ad formam ſemilunae, applicanda pone aures.*

97. In pleuritide vix praeſtantius eſt remedium, quam duo veſicantia tibiis admota. In opthalmia, aliiſque inveteratis oculorum morbis, maximè juvat veſicatorium nuchae applicatum, & per plures dies ibidem permanens. Tandem in apoplexia fortiſsima obſervavi, malum ſignum eſſe ſi veſicantibus adhibitis, veſiculae non excitentur. Sunt morbi in quibus ſtatim ſub initiis applicanda, ut apoplexia caeterique ſoporoſi affectus, omneſque alii quos natura per exanthemata affectioneſve cutaneas diſcutere conſuevit: ſunt alii quibus praemiſsis evacuationibus, ſedatoque orgaſmo licet adhibere, ut peripneumonia, pleuritis, & quicumque morbi cum repletione & calore nimio conjunguntur. Inter medicamenta cauſtica adnumeratur calx, quae exterius appoſita veſiculas excitat. Dum aqua extinguitur, non modo exterius, ſed pro uſibus internis praeſcribi ſolet adeò, ut aqua calcis ſpecifica ulceribus internis detergendis cenſeatur, atque omnibus affectionibus quibus ſiccare, detergere, attenuare opportunum ſit. Hippocrates aqua calcis ad quoſdam morbos externos utebatur; at interius neque ipſe, nec Ganus, Celſus, nec ex vetuſtiſsimis quiſpiam, quod ſciam, unquam praeſcripſit. Hodie cum audaciſsimi ſint medici in remediis quibuſdam adhibendis, aqua calcis ſecunda pro *ſpe-*

cifico eſt. Sed ſciant Tyrones, eam aquam igneum quid & acre ſecum adſportare quod maximè laedere poteſt, atque adeo medicina ex earum genere eſt, quae utilitatem dubiam, &, meo judicio, nullam, ſed pericula multa certo ſecum affert.

CAPUT XVI.

De Venae ſectione.

98 VEnae ſectio eſt: *Evacuatio ſanguinis ex venis arte facta, ad varios uſus naturae congruos.* Communiter creditur, venae ſectionis uſum introductum eſſe, quoniam homines antiquitus viderint hipopotamum, quod animal robuſtum eſt, dum ſanguine turget, inter ſpinas involvi, ſicque corpus dilacerando ipſum à plenitudine liberare. Ego autem crediderim, ex ipſa naturae obſervatione venae ſectionis uſum per analogiam quamdam innotuiſſe, nam cum naturae lege quaedam fiant ſanguinis evacuationes, quibus ipſa, nedum à morbis liberatur, ſed & maximas praecavet aegritudines, hinc homines naturam imitari conantes, eandem evacuationem artificiosè venas aperiendo inſtituerunt. Quidquid tamen ſit, prorſus indubitatum eſt, venae ſectionem maximum eſſe remedium, & praeſtantiſſimum ad morbos praecavendos, & curandos. Propter plures uſus inſtituitur venae ſectio. Primò pro ſanguinis quantitate minuenda. Secundò pro ipſo ſanguine nimis calido & acri temperando. Tertiò pro eodem licore revellendo, hoc eſt, removendo à partibus, ad quas nimio impetu fluere ſolet. Hinc colliges falſiſsimum eſſe quorumdam Neotericorum placitum aſſerentium, ſolam plenitudinem ſanguinis eſſe indicans venae ſectionis, cum etiam haec propter revulſionem, nimium fervorem & acrimoniam magno cum fructu exerceri ſoleat. Ex qua parte ſanguis mittendus ſit, non aeque conſtat. Galenus in revulſionum legibus explicandis nimis prolixus fuit; contra, inter recentiores aliqui omnes re-

regulas revulſionis tamquam fictitias deſtruxerunt. Hinc infinitae propèmodum natae ſunt controverſiae, quae Medicorum mentes prorſus obſcurant, & verae praxeos progreſſibus adverſantur. Nos vero his omnibus relictis, quae ad uſum Medicum minimè conferre judicamus, Tyronibus pro regula firmiſsima praeſcribimus, ut leges revulſionis, & derivationis non ex libris, neque ex Auctoribus inter ſe diſceptantibus, ſed ex ipſa natura vias monſtrante deducant. Igitur revulſio eſt: evacuatio ſanguinis ex parte nimium diſtanti ab ea, quae in morbo affecta eſt. Derivatio eſt: eductio ſanguinis à parte, proxima parti laboranti. Sedulò igitur animadvertere oportet, quomodo natura ſe gerat in curandis morbis per ſanguinis evacuationem ſponte factam, ejuſque leges imitando, tum demum agnoſcemus, quid agendum in revulſione, & derivatione. Exempli gratia, ſi phrenitis cauſam ſuam habeat in cerebro, eam natura ſanat per narium haemorragiam, hincque edocemur parum, aut nihil prodeſſe venae ſectionem ex pede, conferre tamen quam maximè venarum jugularium, & frontis apertionem. Si phrenitis ſedem ſuam habeat in hepate, aut ſepto tranſverſo, tunc natura eam tollere ſolet, tum per narium haemorragiam, tum per haemorroides. Ex hac naturae lege diſcit Medicus aperire primum venas brachii, deinde haemorroidales. Pleuritidem, & peripneumoniam ſanat quandoque natura, aut per haemorragiam narium, aut per ſputum flavum ſanguine permixtum. Intelligit hinc Medicus, venas partium ſuperiorum eſſe in pleuritide, & peripneumonia aperiendas. Velim igitur Tyrones ſemper, natura duce, operari, maximumque ſtudium collocent in ejus legibus exactè cognoſcendis, & obſervatione diſcant, quae agenda ſunt in morbis, interim animadvertentes, noſtrorum temporum libros multa inania hac de re tractare, quoniam ex hypoteſibus confictis, practica praecepta eruere volunt. Hinc falſum eſt, in morbis acutis capitis, ſecandam eſſe venam ex pede, quia nimius eſt impetus ſanguinis ad caput, qui ejus converſione ad pedes ſiſtitur, quia haec omnia hypoteſi nituntur, & experientia non confirmantur, nam

deliria febrium ardentium, poſt multas, imò & importunas venae ſectiones ex pede, non ceſſant. Falſum etiam eſt, quod dicitur, derivationem non eſſe inſtituendam, niſi praecedente prius revulſione, nam haec regula obſervationibus non innititur, ſed ex ſpurciſsimis Arabum fontibus emanat, quinimò Hippocrates contrarium ſuadet, &, quod magis eſt, ipſa natura. Videant Tyrones, ſi lubeat, Martianum hac de re acutè & ſolidè differentem. Hippocrates, Galenus, aliique Medicinae Principes regulas revulſionis, & derivationis in praxi obſervandas ſtatuerunt. Noſtris autem temporibus, dum ſanguinem per corpus circulare credide-runt Medici, tamquam vanas & futiles habuerunt leges revulſionis, & derivationis ab antiquis ſtatutas, quia ſi ſanguis, qui lege circulationis modo eſt in capite, citiſsimè deſcendit ad pedes, quid inquiunt, juvare poterit, ipſum ex pede, vel ex brachio educere, ſi omnis, qui in corpore exiſtit, nunc eſt in pedibus, nunc in brachiis, nunc in capite? Attamen cum experimenta practica ſaepius iterata, hanc ratiocinationem deſtruxerint, opinionum enim commenta delet dies, naturae opera confirmat, hinc factum eſt, ut prudentiores Neoterici, tamquam axioma ſtatuerint: poſita ſanguinis circulatione, leges revulſionis, & derivationis eſſe obſervandas. Noſtro autem ſaeculo, magna exorta eſt controverſia inter quoſdam Medicos Pariſienſes, num in febribus acutis, dum humores ad caput impetuoſe feruntur, ſecare oporteat venas brachiorum, an pedum? Acriter hac de re diſputarunt Philippus Hecquetus, & Silva, defendens ille, venas ſuperiores: hic inferiores eſſe aperiendas. Multo antea, ſaeculo ſcilicèt decimo ſexto, floruit inter Pariſienſes Renatus Moreau, qui diſſertationem fecit de miſsione ſanguinis in pleuritide, eruditam certè & utilem, in qua probat, omnes fere Auctores graviſsimae notae, ab Hippocrate uſque ad ſua tempora, ſanguinem in pleuritide mittendum ex vena brachii lateri affecto reſpondentis, docuiſſe. Ego autem in omni morbo acuto à fluxione inflammatoria pendente, derivationem potiùs, quam revulſionem convenire, cum Hippocrate ſuadeo. Ut tamen Tyrones, qui-

bus

bus in morbis ſecanda ſit vena, & quibus cautionibus id faciendum ſit, aperte cognoſcant, Cornelii Celſi ſententiam apponam, qui inter Medicinae Principes hanc rem accuratiſsimè expoſuit.

Sanguinem inciſſa vena mitti, novum non eſt: ſed nullum pene morbum eſſe, in quo non mittatur, novum eſt. (a)

99 Quid Celſus noſtris temporibus diceret, ſi videret Medicos noſtrates, in omni morbo ſemper, & ubique venam ſecare? Profecto natura non omnes morbos vult per ſanguinis expulſionem tollere; cur vero ars, quae naturam in omnibus ducem habere debet, ſanguinem perpetuo, & ubique mittendum ſuadeat? Certè ſi nihil aliud facere oportet in morbis, quam ſanguinem mittere, & purgare, inutile eſt artem praeceptis ornare ex ipſo naturae penu deductis.

Item mitti junioribus, & foeminis uterum non gerentibus, vetus eſt; in pueris vero idem experiri, & in ſenioribus, & in gravidis quoque mulieribus, vetus non eſt. Siquidem antiqui primam, ultimamque aetatem ſuſtinere non poſſe hoc auxilii genus judicabant, perſuaſerantque ſibi, mulierem gravidam, quae ita curata eſſet, abortum eſſe facturam. Poſtea vero uſus oſtendit, nihil ex his eſſe perpetuum. (b)

100 Galenus non uno tantum in loco docuit, in pueris, & ſenibus venam non eſſe ſecandam, utpote in his aetatibus non adeſt virium robur, ad venae ſectionem ſuſtinendam requiſitum. Ego autem propria obſervatione didici, in pueris parum proficere venae ſectionem, imò & quam maximè officere, etiamſi acutis morbis infeſtentur, vel quod eorum compages laxa ſit, diffluantque facillimè vires, vel quod humore gelatinoſo plurimum abundent & pauco ſanguine, vel alia quavis de cauſa id fiat; tamquam certum igitur teneo in praxi praeceptum, in pueris, & ſenibus raro ſan-

(a) Celſus *de Medicin. lib. 2. cap. 10.* | (b) Celſ. *loc. citat.*

ſanguinem eſſe mittendum. Dixi *raro*, quoniam firmus puer, & robuſtus ſenex tuto ſic (ut Celſus loquitur (a)) quandoque curantur, non enim ſemper pueri, & ſenex annorum numero, ſed virium robore ſtimandi ſunt; maximè tamen in his aetatibus Medicus imperitus falli poteſt, quia fere in iis minus roboris ſubeſt. Cum vero in mittendo ſanguine vires ſemper contemplari oporteat, ſcire nunc expedit, plurimum eſſe diſcriminis inter valens corpus & obeſum, inter tenue & infirmum. Nam obeſa corpora pauco ſanguine abundant, adeoque qui nimium pinguis eſt, ejus detractione licèt modica, affligitur; contra vero tenues, ſi infirmi non ſint, detractionem hujuſmodi facilius ſuſtinent. Propterea vis corporis melius ex venis, ut dicebat Cicero, (b) & Arteriarum pulſatu, quam ex ipſa ſpecie aeſtimari debet.

Neque ſolum haec conſideranda ſunt, ſed etiam morbi genus quod ſit, utrum ſuperans, an deficiens materia laeſerit, corruptum corpus ſit, an integrum. Nam ſi materia vel deeſt, vel integra eſt, iſtud alienum eſt; at ſi vel copia ſui male habet, vel corrupta eſt, nullo modò melius ſuccurritur. (c)

101 Falſum eſſe, obſervationes evincunt, ſolam plenitudinem eſſe indicans venae ſectionis, nam ſanguinis corruptio nullo modò melius quam venae ſectione corrigitur. „ Venam igitur tundere oportet, inquit, Actuarius, (d) in „ plenitudine, & calidorum humorum putredine, in anni „ tempore, vere potiſsimum, ſecundo loco autumno: in „ aetatibus à pubeſcentibus uſque ad declinationem. Nam „ ſi ſanguis vacuatur cum neque copia neque humoris ſu„ perat caliditas, refrigeratio, cruditas, maluſque habitus „ ſuccedit.“ Igitur à vero aberrant, qui in omni morbo, in omni aetate, in omni tempore ſanguinem detrahunt, ſicut etiam illi, qui ſola copia redundante, ipſum detrahendum ſuadent.

Er-

(a) Celſ. *de Medic. lib. 2. cap. 10.*
(b) Cicer. *in Orat. cap. 2.*
(c) Celſ. *loc. cit.*
(d) Actuar. *de Method. Medend. lib. 3. cap. 1.*

Ergò vehemens febris, ubi rubet corpus, plenaeque venae tument, ſanguinis detractionem requirit; item viſcerum morbi, nervorumque reſolutio, & rigor, & diſtentio, quidquid denique fauces difficultate ſpiritus ſtrangulat; quidquid ſubito ſupprimit vocem: quiſquis intolerabilis dolor eſt, & quacumque de cauſa ruptum aliquid intus, atque coliſum eſt. (a)

102 In hac morborum enumeratione, omnes fere illi continentur, qui ſanguinis detractione curantur, nam ſi attente ea, quae à Celſo proponuntur, inſpiciamus, certè inveniemus in caſibus ab eo propoſitis, plenitudinem univerſalem, vel ſaltèm particularem adeſſe, aut ſanguinis corruptionem, quae venae ſectionem expoſtulat. Igitur in fluxionibus, & deſtilationibus humoris ſeroſi à capite, item in nimio ſanguinis fluxu, & in morbis à bile, ſeu pituita pendentibus, non video qua ratione ſit ſanguis mittendus.

Fieri tamen poteſt, ut morbus quidem id deſideret, corpus autem vix pati poſſe videatur: ſed ſi nullum tamen appareat aliud auxilium, perituruſque ſit, qui laborat, niſi temeraria quoque via fuerit adjutus, in hoc ſtatu boni Medici eſt oſtendere quam nulla ſpes ſine ſanguinis detractione ſit, faterique, quantus in hac ipſa re metus ſit, & tum demum ſi exigatur, ſanguinem mittere. De quo dubitare in hujuſmodi re non oportet, ſatius eſt enim anceps auxilium experiri quam nullum; idque maximè fieri debet, ubi nervi reſoluti ſunt, ubi ſubito aliquis obmutuit, ubi angina ſtrangulatur, ubi prioris febris acceſsio pene confecit, paremque ſubſequi veriſimile eſt, neque eam videntur ſuſtinere aegri vires poſſe. (b)

103 Optima ſunt, quae Celſus hic adducit & praxi quam maximè congruentia. Id unum excipio, quod Celſus ſuo tempore agnoſcere non potuit, cum ſcilicèt, acceſsio febris aegrum pene confecit, & aliam ſuccedere ſpes eſt; cui ſuſ-

(a) Celſ. *loc. citat.* | (b) Celſ. *loc. citat.*

ſuſtinen lae vires impares ſint , tunc non venae ſectione aeger ſuccurrendus , ſed cortice peruviano , à quo unice certum auxilium ſperandum eſt.

Cum ſit autem minime crudo ſanguis mittendus , tamen ne id quidem perpetuum eſt , &c. (a)

104 Duo praecepta notat hic Celſus , Tyronibus ſcitu neceſſaria. Primum eſt , ſanguinem non eſſe mittendum exiſtente cruditate in primis viis. Secundum eſt , in caſu magnae urgentiae ſeu ſuffocationis , ſeu contuſionis vehementis, ſeu magnae inflammationis , ſanguinem eſſe detrahendum, etſi cruditas adſit : imò ſi duae ſimul concurrant indicationes , altera ſcilicèt , purgandi humores crudos : altera mittendi ſanguinem cum urgentia , ſatius eſt , primum ſanguinem detrahere , & poſtmodum cruditati ſuccurrere. Si verò non adſit urgentia mittendi ſanguinem , uti communiter accidit , tunc tutior via eſt , quae abſtinet à ſanguine detrahendo , donec cruditas omninò corrigatur. Tanto tempore, inquit Galenus , differre oportet ſanguinis miſsionem , exiſtente cruditate in ventriculo , quanto opus eſt , ut cruditas evacuetur. Hic oportet Tyrones advertant , cruditatem ante venae ſectionem non eſſe evacuandam in acutis per medicamentum purgans , ſed per clyſteres , vel uſu olei amygdalarum dulcium in juſculo propinati. Hinc deducitur , in cholera morbo , in cardialgia , & hujuſmodi affectionibus oris ventriculi , periculoſum eſſe ſanguinem mittere , nam in his caſibus , praeter ſummam cruditatem , virtus facillimè labitur , quod optime variis locis praeceperunt Hippocrates , & Galenus.

Sed ut aliquando etiam , primo die ſanguinem mittere neceſſe eſt , ſic numquam utile poſt diem quartum eſt , cum jam ſpatio ipſo materia , vel exhauſta eſt , vel corpus corrupit. (b)

105 Optimum conſilium hic praeſcribit Celſus , & experien-

(a) Celſ. *loc. citat.*

(b) Celſ. *loc. citat.*

tientia confirmatum, quod utinam Profeſſores hodierni exe-cutioni mandarent, cum videamus, quibuſcumque diebus & quocumque tempore morbi, ſanguinem immoderate fun-dere, & indiſcriminatim hoc remedii genus, ſine delectu temporum morbi, paſsim tentare.

Fere etiam iſta Medicina, ubi neceſſaria eſt, in biduum divi-denda eſt. (a)

106 Gloriabatur Galenus, ſe, unica venae ſectione, fe-bres quandoque jugulaſſe, atque Medicis antiquis in uſu erat ſanguinem mittere uſque ad animi deliquium. Tyrones tamen monendi ſunt, ne id umquam intendant, cum ma-ximè periculoſum ſit multum ſanguinem una vicè extrahe-re, & poſsit aeger ſyncope confectus perire. Praeſtat certè repetitis vicibus extrahere eam copiam, quae morbo con-gruat, nam ſi, ut idem Celſus optimè monet, in aqua hy-dropicorum educenda id valet, quanto magis neceſſe eſt, in ſanguine educendo valeat?

Mitti vero is debet, ſi totius corporis cauſa fit, ex brachio, ſi partis alicujus, ex ea ipſa parte, aut certè quamproxima::: Neque ignoro quoſdam dicere, quam longiſsimè ſanguinem, inde ubi laedit, eſſe mittendum, ſic enim averti materiae curſum, at illo modò in idipſum quod gravatur, evocat. Sed id ipſum falſum eſt, proximum enim locum primo exhaurit, ex ulterioribus autem eatenus ſanguis ſequitur, quatenus emittitur. (b)

107 Habent hic Tyrones regulas revulſionis, & deriva-tionis, obſervata ſemper lege ducendi ſanguinem ex loco propinquiori parti affectae. Denique, ut omnia haec brevi methodo comprehendamus, ſcire oportet ſanguinem num-quam eſſe detrahendum per regulas ex hypoteſi deductas, ſed per praecepta practica ex certa, & indubitata obſerva-

(a) Celſ. *loc. citat.*

(b) Celſ. *loc. citat.*

tione deprompta, atque adeò minimè tenendum, plenitudinem esse unicum indicans sanguinis missionis, quia id ex hypotesi manat, & observatis practicis constat, plenitudinem in sanis adesse prorsus innoxiam, quae neque sanguinis detractionem postulat, neque specialem curationem requirit; nec satis certa sunt plenitudinis indicia, cum communitèr ex pulsu, ex rubore faciei, & ex corporis mole sumantur, quae omnia, quatenus ad hanc rem spectant, fallacia sunt.

108 Neque verum est Scholarum axioma, morbum, scilicèt, magnum postulare venae sectionem, aut purgationem, nam licèt verum sit morbum magnum remedia magna postulare, si ea fortasse dentur, tamen non aeque verum est solam venae sectionem, & purgationem esse remedia magna, uti inter Arabum sectatores plurimi crediderunt, nam cortex peruvianus, aqua frigida juxta regulas artis praescripta, aliaque hujusmodi medicamina nedum magna, sed & maxima sunt, imò in aliquibus morbis magnis, tum venae sectio, tum purgatio medicamenta pessima esse solent. Igitur verum indicans venae sectionis observatione tantummodo innotescit, & per eam nobis constat sanguinis detractionem in iis casibus indicari, in quibus, natura ipsa duce, morbi per sanguinem ultro fluentem, aut sanantur, aut mitescunt. Juxta hanc legem utilis est venae sectio in suppresione haemorroidum, aliarumque sanguinis excretionum, quae certis, & determinatis temporibus fieri solent. Utilis etiam est in omnibus internis inflammationibus, quoniam si in ipsis vi naturae sanguis expellatur per nares, aut alium quemcumque locum conferentem, morbus certè mitior redditur. Idem accidit in febribus sinochis, aliisque ardentibus, quae à sanguine potius, quam bile procedunt. Constat etiam observatione, aliquos morbos, citissimè venae sectione, aut minui, aut tolli. Sic suffocatio vehemens in asthmate, apoplexia fortis, convulsiones vehementes, contusiones partium, aliaeque hujusmodi affectiones sanguinis detractione levantur, idque cognoscimus non per illa ratiocinia, quae communiter admittuntur, scilicèt, venae sectio-

tione promóveri ſanguinis motum, laxari fibras, aliaque hujuſmodi, quibus noſtri homines maximè abundant, utpote ſi non omnino falſa, ſaltèm incerta ſunt, ſed quia naturam imitantes, ejus opera ſequimur, videmus enim eos, qui caſu ab alto apoplectici fiunt, nullo modo melius ſaneſcere, quàm ſi ſanguinem ex vulnerata parte largiter fundant. Videmus etiam, in magnis ſuffocationibus maximè prodeſſe, ſanguinem per haemorroides, aut per uterum in mulieribus copioſe effluere. Nec ſolum ſcire oportet, quae venae ſectionem expoſtulent, ſed neceſſe etiam eſt intelligere, quaenam ea ſint, quae permittunt, aut impediunt ejus operationem. Igitur plenitudo vera, non fucata, vires robuſtae, aetas juvenilis, temperamentum ſanguineum, & inter anni tempora ver, & autumnus ſanguinis detractionem permittunt; contra, ſanguinis paucitas, virium debilitas, aetas puerilis & ſenilis, aeſtas, & hiems, venae ſectionis uſum dehortantur. Pro coronide tantum reſtat animadvertere, Galenum plurima ſcripſiſſe de venae ſectione, ac licèt dubitari nequeat, quin optima propoſuerit praecepta circa hanc rem in libro de Methodo Medendi per ſanguinis detractionem, tamen neque negari poteſt, audacem nimis fuiſſe in mittendo ſanguine, licèt non tantum ac noſtrorum temporum Medici, idque effecit ductus ſyſtemate plenitudinis, quam unicè in ſanguine mittendo fermè attendebat. Verum ipſe Auctor eſt, in pueris, & ſenibus, in natura frigidis, & debilibus, & in quibus os ventriculi quavis de cauſa affectum eſt, minime ſanguinem eſſe detrahendum.

TRACTATUS IV.

DE FEBRIBUS.

CAPUT I.

Quid ſit febris exponitur.

CUM quis quavis de cauſa calorem praeternaturalem concipit, ſeu interius tantum affligat, ſeu exterius etiam percipiatur, eodemque tempore pulſum habeat agitatum, celeritate vel inaequalitate à naturali ordine recedentem, eum hominem febricitare dicimus. Ergo febris eſt: *praeternaturalis corporis humani calor cum pulſu celeri, inaequali, aut inordinato conjunctus.* Haec ſunt quae febris praeſentiam ex obſervationibus certò monſtrant; innumera pene dogmata circa eſſentiam, ut ajunt, febris, ex galenicis, chymicis, mechanicis hypotheſibus deducta hic ommittimus, ne Tyrones pugnantium inter ſe opinionum commentis oneremus, quilibet enim pro lubitu vel fermentationem, vel ſolidorum irritationem, ſanguinis deſpumationem, aliaque id genus figmenta pro febre explicanda in medium adducit. Solus Ramazzinus colligens plurium ſcriptorum hac de re ſententias, pluſquam quinquaginta inter ſe pugnantes & diverſiſsimas proponit. Cum vero nec calor creſcere, nec pulſus extra naturae ordinem diu moveri ſine corporis offenſione poſsint, neceſſe eſt ut febre praeſente actiones, excreta, affectiones mutentur, atque adeò omnis generis ſymptomata caput erigant. Sed cognita febre per caracteres explanatos, & fomitem febris ex ſymptomatibus haud difficile erit eruere, nam etſi totum corpus moleſtia laboret, in ea tamen parte quae febri originem praeſtat, actiones laeſae aliaque ei reſpondentia opera, vehementius, ma-

majorique conatu, & duratione, obſervatione accurata patefiunt. Jam vero cum omnis febris (ne quidem diaria & hectica exceptis) inflamationem ſimplicem, quam *phlogoſim* vocant, ſecum adjunctam habeat, hoc eſt, calorem praeter, naturalem acrimonia ſpeciali ſtipatum: nonullae, at non omnes, *phlegmone*, hoc eſt, inflamatione cum tumore comitentur, propterea monendum duximus, in hoc tractatu de febribus ſimplici inflamatione conjunctis tantum agere, cum reliquae ex *phlegmone* natae morbos ſui generis, quaelibet proprium, producant, ut phrenitidem, pleuritidem, peripneumoniam, &c. eoſque in praxi tractandos ſuſceperimus. An cor in omni febre neceſſario inflammari & caleſcere debeat diſputant aliqui, multaſque quaeſtiones inutiles quidem & verboſas his de rebus exagitant. Sed ab iis dubiis nos facile expediri poſſe cenſemus, ſi ſtatuamus, febres univerſales, hoc eſt, univerſum corpus occupantes, de quibus hic loquimur, cor calore praeternaturali affectum ſupponere, ut inde pulſus alterationem inordinatam adquirat; febres verò particulares, hoc eſt, unicam tantum partem occupantes, non requirere calidam cordis affectionem, quamquam & febres iſtae ſi diutius durent, tum demum corde in conſenſum tracto, in univerſales ſaepe abeant. Sic, ſi calor praeter naturam diu caput, pulmones, ventriculum, hepar aut alia hujuſmodi viſcera infeſtet, partes iſtae febricitant ſpeciali ſeu particulari *febre*, quae hoc nomen apud communia Medicorum effata non ſuſcipit, donec malo cordi communicato univerſum corpus afficiat. Hanc febrium diſtinctionem in univerſales, & particulares in mente habeant Tyrones pro uſu practico, ſic enim diſcent, ubicumque calorem praeternaturalem obſervent, non calidis remediis curationem inſtituere, neque catharticis, ſpirituoſis, & calefacientibus rem abſolvere, ſed diaeta tenui humectante, aquae potu, abſtinentia ita aegros tractare, donec calor praeternaturalis partis laeſae evaneſcat, ejuſque functiones ad ſtatum naturalem integre reſtituantur.

CA-

CAPUT II.

De Diferentiis febrium.

2 GAlenici febres dividunt in diarias, putridas, & hecticas: Diarias dicunt reſidere in ſpiritibus, quibus accenſis totum corpus deinceps accenditur, cumque ſpiritus propter eorum ſubtilitatem facilè diſsipentur, hinc aſſerunt diarias febres ſpatio unius diei finiri. Putridas febres appellant, quae fiunt ex putredine humorum; ad hoc ſupponunt, unum aut plures ex humoribus in aliqua corporis parte detentum putreſcere, indeque vapores calidos ad cor emittere, quibus, corde calefacto, totum corpus incaleſcit hinc aſſerunt bilem putreſcere in tertiana, melancholiam in quartana, pituitam in quotidiana, &c. Hecticas febres in ſolidis partibus radicari judicant; dum enim hae quavis de cauſa incaleſcunt adeò ut calor in eiſdem partibus quaſi in proprio fomite accendatur, tunc febres fiunt hecticae. Haec diviſsio re ipſa omnes febres ſub se comprehendit ſi bene intelligatur. Igitur ſunt febres quae uno, duobus, aut tribus ad ſummum diebus durant, quoniam earum fomes ſubtilis tenuiſque, nec naturae nimium adverſus, citò & ſalubriter conſumitur, haſque veteres diarias appellabant. Sunt aliae durabiles, naturam laceſſentes, & juxta varios laedendi modos diverſis caracteribus diſtinctae, nec niſi criſi aliqua ſolubiles, eaſque *putridas* vocabant, non quod veram humorum putredinem adeſſe crederent, ut falsò aſſerunt qui veteres non legunt, ſed quoniam corrumpuntur humores certaque diatheſi à naturali ſtatu recedente inficiuntur, ut via ad putredinem facilis paretur. Caeteras in habitum verſas, lento & diuturno motu corpus abſumentes, hecticas nominarunt.

3 Praecipua febris diviſio, ac Tyronibus ad febres clarius cognoſcendas utilior eſt, in febres, primae, ſecundae, aut tertiae regionis. Explicatur diviſio; dum Medicus ad ae-

aegrum febrientem vocatur, primum ſibi ante oculos proponat, num febris ſuum praecipuum fomitem habeat in prima regione, num in ſecunda, an in tertia, num denique in duabus, aut tribus ſimul, ex ea enim cognitione utiliſsimae ſumuntur indicationes ad aegros ſanandos. Per primam regionem intelligimus ventriculum, inteſtina, partem cavam hepatis, meſenterium, pancreatem, veſicam, lienem, &c. Per ſecundam intelligimus gibbam hepatis partem cum vaſis majoribus, ut arteria magna, vena cava, &c. Per tertiam regionem intelligimus totum corporis habitum.

4 Sic febres diarias ex prima regione experiuntur Medici in infantibus ex lactis corruptione in ventriculo, levique primarum viarum obſtructione, quod olim jam monuit Galenus. Febres diarias ex ſecunda regione videmus in febribus, in quibus incaleſcit ſanguis ab inſolatione, vigilia, animi pathemate, &c. Febres diarias ex tertia regione quotidie videre licèt in cutis conſtipationibus. Similiter febres putridas ex prima regione experimur paſsim in febribus meſſentericis; putridas ex ſecunda regione in febribus malignis, ardentibus, acutis, inflammatoriis, &c. Tandem putridas ex tertia regione ſaepiſsimè obſervant Medici in tumoribus, ulceribus, aliiſque hujuſmodi morbis in habitu corporis exiſtentibus. Febres hecticas ex prima regione ſaepè vident practici in abſceſſu, & ſchirro hepatis, in pertinacibus meſſenterii obſtructionibus, ac in hyſtericis, ſcorbuticis, & hipochondriacis. Deinde febres hecticas ex ſecunda regione advertunt obſervatores in phtiſicis, empiematicis, & illis quibus naturalis adeſt ſanguinis diſpoſitio ad febres hecticas. Denique febres hecticas ex tertia regione videmus in leucophlegmatia, attrophia, &c. Seu febris ſit primae ſecundae aut tertiae regionis poteſt eſſe diaria, putrida, aut hectica, nam regiones monſtrant locum patientem, haec alia naturam & conditionem febrium. Inſuper putrida febris poteſt eſſe continua, vel intermittens: continua dicitur, in qua aegri ſemper, & continuo febricitant, licèt acceſsionis tempore magis aegrotent; intermittens eſt in qua tempore illo quod inter unam, & aliam mediat acceſsionem, non febricitant.

Con-

Continua, quae phlegmonem non habeat adjunctum, eſt *meſſenterica* recentiorum (à veteribus *quotidiana*): *ardens*, *ſynochus*, *maligna*, *ſemitertiana*, *diaria*; quaelibet enim febres putridae quocumque nomine inſignitae ad has reducuntur. Intermittentes ſunt tertianae, & quartanae ita dictae, quia illa tertio, haec quarto quoque die repetit; etſi interdum tertiana ſingulis diebus invadat, tamen acceſsiones & periodo & caractere tertio quoque die ſibi reſpondent.

CAPUT III.

De Febre meſſenterica.

5 INter febres continuas fomitem praecipuum in prima regione habentes primum ſibi vendicant locum *febres meſſentericae*, quae ita dicuntur, non quod à ſolo meſſenterio, ſed quia in eo, ejuſque glandulis potiſsimum (licèt etiam in aliis primae regionis latibulis exiſtat) harum febrium fomes majori ex parte continetur. Hominibus ſtudioſis, laboribus, vigiliis, animique paſsionibus affectis, necnon hypochondriacis, ſcorbuticis, hyſtericis, veneri, & ingluvici deditis ſunt maximè familiares; propterea inter populares noſtros ob ventriculi languores, alimentorum copiam, & ſtomachi debilitatem ſunt frequentes. Veteres has febres quotidianas appellabant, & à craſsis crudiſque humoribus foveri credebant. Cognoſcuntur ex ſequentibus ſignis: febris ad tactum nimis ardens non eſt, imò quaſi lento ſuavique calore ſeſe explicat: etſi continua ſit, acceſsiones habet ſingulis diebus, ac interdum tertioquoque die, tertianarum more, ſibi mutuo correſpondent. Pulſus parvus eſt ut plurimum, ut in omnibus morbis ſtomachi ſolemne eſt, & aliquantulum celer; urina parum diſtat à naturali, niſi à nimia ſalium muriaticorum copia rubicunda, & quaſi lateritio tincta colore appareat, interdum autem craſſa eſt maximè, furfure in fundo matulae quaſi plena; os amarum, aut inſipidum eſt, cum levi quadam nauſea,

&

& inappetentia; lingua viscida est, glutinosa, spurca, pellicula scabra & alba vestita; foetor circa dentes peracta ventriculi digestione frequens est. Alvus plerumque est sicca, aliquando tamen fluida; accessiones frequentius circa noctem advenire solent, aliquando duae accessiones eodem die, interdum nec typum, nec ordinem servant, unde ab aliquibus *erraticae febres* meritò dicuntur; non adveniunt accessiones cum rigore, sed aut levi quodam horrore, aut pedum refrigeratione, ac dum pedes frigidi sunt, volae manuum ardere solent: certissimum messenterii, partiumque adjacentium malè affectarum, indicium. Caput denique semper patitur modò dolore, modò gravitate, & pulsatione circa tempora: at si patiens in lecto erigatur, caput hinc, inde nutando gravitat, & quasi vertiginosis motibus laborat. Non haec omnia in singulis aegris reperiuntur, nam propter temperamentorum diversitatem, aliarumque causarum quae occasionem morbo tribuerunt, magis, vel minus, plura, vel pauciora apparent aliquando, quamquam in febribus messentericis majori ex parte solent concurrere.

6 Causae occasionales febrium messentericarum sunt congesti, crudique humores in messenterio, primisque viis, qui ibi diutius detenti, corruptionem putredini proximam, pravamque diathesim adquirunt. Est etiam occasio, non ita proxima, prima alimentorum digestio vitiata. Haec autem vitiatur, aut per nimiam alimentorum quantitatem, quae stomachi vim superando, eandem ad concoquendum prorsus imparem efficit; aut per vitium liquoris gastrici, dum diathesi aliqua corruptus & acrimonia, ea vitia alimentis communicat; aut per morbos partium ad primam ciborum coctionem cum stomacho concurrentium; hinc enim fit ut alimentis benè non subactis, nec satis perfectè elaboratis, cruditates sensim accrescant in prima regione, donec naturam heterogeneam adquirentes febres excitent. Causae externae efficientes praeter aerem temporisque constitutionem, sunt diaeta ad quam pertinent studia, venus, labores insueti, vigiliae, aliaque hujusmodi ventriculo noxia: ac demum animi pathemata.

7 Febres iſtae chronicae ſunt ut plurimum, ac niſi rectè tractentur, in hecticas meſſentericas facilè tranſeunt. In hypocondriacis, ſcorbuticis, & hyſtericis difficilis prae caeteris ſunt curationis, ſi à diſpoſitione praeſertim cancroſa hypocondriorum, ut temperamentis nimis aduſtis, ac baccho, liquoribuſque ardentibus deditis commune eſt, proveniant.

8 Curatio hujus febris tribus perficitur indicationibus, evacuandi ſcilicèt corruptos, & impuros humores primarum viarum; ſtomachum, ejuſque vim concoquentem roborandi; ac febri etiam ſuccurrendi. Primam indicationem ſtatim ſub initiis debet Medicus adimplere, aliter enim humores illi nimis detenti, febrem pernicioſam creare ſolent, ut non ſemel obſervant practici; ad eam proindè implendam ſub primis diebus ſequentem praeſcribat potionem.

R. *Rhabarb.* ʒ. i. *infund. in* ʒ. iij. *aquae gramin. colaturae adde ſirup. aurei ex rore* ʒ. i. *ſal abſinth.* ϑ. *ſ. me. matutino tempore praeſcribatur.*

9 Hanc potionem iterum, & ſaepius praeſcribat aliquibus interpoſitis diebus ab una ad aliam purgationem, donec meſſenterium ab humorum infarctu ſatis purgatum agnoverit; diebus autem à purgatione liberis ad vires recreandas, & ſtomachum roborandum ſequentem poteſt propinare potionem horis pomeridianis cum moderato hauſtu aquae, nive aut glacie refrigeratae.

R. *Confect. alkerm. incompl. & ſal. abſinthi anà* ϑ. *ſ. pulv. margarit. pp.* ϑ. *ſ. ſirup. roſar. virid.* ʒ. ij. *aquae gramin.* ʒ. iij. *me.*

10 Licèt Baglivus variis in locis agens de febribus meſſentericis, abſorbentia medicamenta ad eas febres damnaverit, in noſtris tamen popularibus ea utiliſsima deprehendimus, imò cum non ſemel in dictis febribus ea praeſcripſe-

ſerimus ex consilio D. Fuller in ſua *Pharmacopaeia extemporanea*, felices eventus ab eis ſemper obſervavimus, dummodo nimia copia non praeſcribantur; ſic enim adeo non proſunt, ut obſtruendo laedant. Pro potu ordinario bibant aegroti in hiſce febribus ptiſanam ex radicibus graminis, & fragariae, radices enim iſtae utrique indicationi ſatisfaciunt. Si aliae potiones purgantes, aut ſtomachum roborantes pro curandis his febribus magis arrideant, conſulant Tyrones pharmaciam noſtram in tractatu de Stomachicis, & purgantibus cum animadverſionibus ibidem ſatis repetitis. Si ea methodo febris adhuc pertinax non cedat, ad amara, & aperitiva confugiendum eſt, inter quae reliqua omnia longè antecellit decoctum amarum Pharmacopeae Bateanae, cujus haec eſt deſcriptio.

R. *Summitat. centaur. minor. flor. camomil. & folior. agrimon. anà manip. ſſ. ſemin. card. bened. citri anà* ʒ. ij. *flor. calendul. pug.* ij. *radic. gentian.* ʒ. ij. *ſennae* ʒ. vj. *rhabarb.* ʒ. i. *vini albi, & aquae font. anà* ℔. i. *coque ad dimid.*

11 Si purgantia auferas, merè alterans fiet, atque conveniens erit in caſu, quo propter vires laceſsitas tibi ſolum in animo ſit febrem fugare, non purgare. Hoc decoctum in quibus intemperies viſcerum calida regnat, aut febris eſt nimis intenſa, utile non eſt propter medicamenta nimis calida, & amara; quod ſi decocto opus ſit ad febrem tollendam, hoc modo componi poteſt.

R. *Radic. gramin. fragar. anà* ʒ. i. *ſummitat. centaur. minor. flor. camomil. & fol. agrimon. anà manip. ſ. ſemin.* 4. *frigidor. major. & card. bened. anà* ʒ. i. *aquae fontis* ℔. iij. *coque ad medi. cola pro tribus doſibus.*

12 Si autem praedictis remediis febris tenax reſiſtat, tunc

utile eſt decoctum aperiens ; deobſtructivum , diluens , factum cum ſero lactis ; prodeſt etiam ſal febrifugum Silvii, ſal abſinthi , centaur. minor. card. benedicti , & alia , ea cautione, ut calor viſcerum minimè intendatur. Sequens decoctum ad has febres eradicandas ſummè praedicat Fuller , idque appellat decoctum febrifugum ſalſum.

R. *Sal. abſinthi* ʒ. ij. *aquae fontis* ℔. ij. *coque ad tertiae partis conſumptionem.*

Hoc febrifugum utile etiam eſt.

R. *Sal. centauri minor. abſinthi anà* ℈. i. *cremor. tartar.* ʒ. ii. *c. c. philoſophic. calcinati.* ʒ. i. *ſ. ſpirit. vitriol. rectificat.* ʒ. *ſ. ſandal. rubr. pulv.* ʒ. i. *ſpiritum vitrioli affunde guttatim , pulverem miſcendo ſpatula lignea in vaſe vitreo , deindè lento igne mixturam exſicca. Detur ad* ʒ. *tribus horis ante paroxiſmum.*

13 Quod ſi praedictis medicamentis febris non cedat, ad uſum corticis kinae tamquam ad ſacram anchoram confugiendum , licèt enim hujus ſaluberrimi corticis uſus in hiſce febribus à Bagliv. damnetur , id fortaſſe , ut ipſe loquitur , ab aere Romano procedet ; at in noſtro climate obſervamus , febres meſſentericas , repurgato prius meſſenterio , recta illius pulveris praeſcriptione citò & tutò fugari, quapropter poſt repetitas purgationes , roborato jam ſtomacho , utile erit eum ſic praeſcribere.

R. *Corticis peruv.* ʒ. iij. *ſal tartar.* ℈. *ſ. infund. in aquae cichor.* ʒ. vi. *& fiat tinctura. Doſis* ʒ. ij. *ſingulis diebus , horis ab acceſsione liberis.*

Si in forma pill. magis arrideat.

R. *Sal. febrifugi Silvii* ʒ. i. *ſal centaur. minor. & pulv. flor. camomil. anà* ʒ. *ſ. cortic. peruviani* ʒ. *ſ.*

antim. diaphor. ℈. *ſ. fiat maſſa cum liquore idoneo, & dentur hujuſmodi pill. ad* ℈. j. *pro qualibet doſi, ſed diverſis intervallis.*

Vel ſi hunc corticem arrideat purgantibus admiſcere R. *Sal. abſinth.* ℈. iij. *cortic. peruviani* ʒ. iiij. *extracti gentianae* ℈. i. *aloes ſuccotrin.* ʒ. ij. *ſirup. de cichor. cum rhabarb. q. s. fiat confectio. Doſis cochlearia duo ſuperbibendo hauſtulum ptiſanae deſcriptae, aut aquae frigidae.*

14 Tandem pro integra febrium meſſentericarum curatione duo reſtant advertenda. Primò, ventrem eſſe laxandum ab initio morbi clyſteribus emollientibus, refrigerantibus, & leviter irritantibus ex foliis ſcilicèt malvarum, abſinth. rutae, additis oleis camomelino, abſinth. aut communi cum benedicta laxativa, aut ſi opus fuerit confectione de baccis lauri, &c. ea lege, ut ſi clyſteres ſatis ventrem expurgent, prorſus omittantur ſupra poſita cathartica. Secundo, notandum eſt, venae ſectionem in his febribus pernicioſam eſſe potius, quàm utilem, unde Tyrones in ea facienda cauti procedant; non enim omnis febrium curatio à venae ſectione indifferenter eſt incipienda, potiſsimum dum humorum ſaburra redundat in prima regione, eam enim tunc nocere potius, quam prodeſſe notat Galen. & experientia confirmat, quapropter in febribus meſſentericis ex uſu non eſt, imò penitùs ableganda. Verùm hoc unicum advertant, interdum, licet raro, febres meſſentericas omnibus aliis remediis fruſtra tentatis, ſola una ſanguinis miſsione fuiſſe curatas, ſed magnis cautionibus opus eſt ad eam prudenter excercendam; ac ſi opus ſit eam quandoque in uſum adducere, fiat id bene repurgato prius meſſenterio, ac omnibus jam ſupradictis attentè inſpectis.

15 Denique ſedulò notandum eſt, infantes hujuſmodi febribus potius, quam adultos laborare; ex lactis enim corruptione in primis viis ipſis ſaepiſsimè adveniunt. Febricitare

in-

incipiunt pueri, & infantes, lac veluti coagulatum vomendo, interdum autem diarrhaea ſeroſa, & cruda corripiuntur, quae ſimptomata ſi ſimul in pueris occurrant, certiſſimum ſunt ſtomachi, & meſſenterii pravis humoribus refertorum ſignum, undè toto caelo errant Medici, qui in hiſce febribus diarrhaea perterriti, ſtatim ad adſtringentia confugiunt, atque intus incluſo hoſte, morti tribuunt occaſionem. Tutius tunc eſt, diarrhaea non obſtante, deobſtruentibus, levibuſque laxantibus curationem moliri atque sic proſunt oleum amygdalarum dulcium ſine igne extractum, rhodoſacharum, aut rhodomel alexandrinum, & alia id genus, fortia enim medicamina abhorret tenera puerorum aetas. Obſervationibus fidis mihi notum eſt, febres meſentericas puerorum maximè minui aut prorſus fugari emplaſtro ad umbilicum appoſito ex herbis refrigerantibus, portulaca, acetoſa, oxylapato, atque roborantibus mentha, meliſſa abſinthio ſimul commixtis & porci pinguedine liquata in formam emplaſtri coadunatis. Proſunt etiam clyſteres ex kina pura in pulverem redacta & aqua egelida probe mixta; hoc enim medicamine febres puerorum fugatas ſaepe vidimus.

16 Hic oportet Tyrones admonere, & omni animi contentione admoneo, ut advertant ſedulò, phrenitidem morbum ſaeviſsimum, & communiſsimum ſub larva febris meſſentericae frequenter ingruere, & Medicos licèt expertos ſaepiſsime fallere. Habet enim phrenitis ſub initiis febrem veluti lentam, pulſum parvum, celerem, & frequentem, urinas rubras, & linguam albam, mucilaginoſam, quae omnia cum febribus meſſentericis confunduntur. Attamen differunt inter ſe quam maximè, quoniam phrenitide incipiente adſunt dolores capitis, in febre meſſenterica gravitas potius quam dolor; in phrenitide adeſt vigilia pertinax, in febre meſſenterica ſomnus moderatus; in phrenitide pulſus duritiem, ſeu denſitatem habent cum parvitate, in febre meſſenterica parvi ſunt, & molles. Denique urina harum febrium rubicunda quandoque eſt, ſed ſimul craſſa cum ſedimento lateritio; attamen phreniticorum urina in initiis eſt rubra, & tenuis. Multa alia adſunt ſigna incipientis phre-

ni-

nitidis, quaé Tyrones attentè inſpiciant, & obſervent oportet, atque omnia apud Caelium Aurelianum collecta, & adeò nitidè explicata reperient, ut nihil ſupra.

CAPUT IV.

De Febribus intermittentibus.

17 Poſt febres meſſentericas, inter febres primae regionis adnumeratur omne genus intermittentium, de quibus quaeſtio eſt inter Auctores antiquos, & Neotericos, num ſuum fomitem habeant in prima, an in ſecunda regione? Antiqui (dempto Joanne Fernelio) in ſecunda regione, tamquam in proprio loco reſidere judicant, non alia ratione ducti, niſi quia ad rigorem in acceſsionibus producendum, ſi in prima regione eſſet, ineptus fieret. Recentiores autem experimentis, & rationibus contrariam ſuadent opinionem, quam nos in praeſenti ſequimur, aſſerentes febres intermittentes, majori ex parte, pendere à prima regione. Hujus aſſertionis veritatem felix ipſius curationis eventus ſat clarè demonſtrat: cum enim intermittentes febres, ut inferius dicemus, non niſi emeticis cedant, ac à venae ſectione ingraveſcant, certum indicium eſt eas à prima regione praecipuè naſci; nec in aliis tradendis rationibus immoror, quippe vanis inutilibuſque quaeſtionibus numquam immiſceri me patiar.

18 Intermittentes febres, vel ſunt ſimplices, vel duplices; ſimplices ſunt, cum ſingulis diebus non repetunt, ſed per unius ſaltèm diei ſpatium intermittunt; duplices dicuntur, cum ſingulis diebus repetunt, licèt aliquod mediet tempus ſine febre, ab una ad aliam acceſsionem. Inter intermittentes febres praecipuae ſunt tertiana, & quartana (quintanam, ſextanam, ſeptimanam, nonanam, quae reipſa etſi raro obſervantur, ad quartanas reducimus). Tertianam intermittentem dividebant Antiqui in exquiſitam, & notham; exquiſitam credebant eſſe illam, quae à ſola bile,

pu-

pura & impermixta procedebat ; notham verò illam, quae à bile cum reliquis humoribus permixta. Crediderim verò ipſe intermittentes exquiſitas non dari, in noſtris potiſsimum popularibus, in quibus eas adhuc paucis licuit obſervare. Imò compertum mihi eſt, tertianas, tum intermittentes, tum continuas, exactè, ut vocant, exquiſitas, raram avim eſſe in praxi ; frequentius tamen apparere tertianas, aut nothas, aut alias, quae licèt non ſint perfectè exquiſitae, accedunt ferè ad exquiſitas ; proindè loquemur ſolummodo in praeſenti de tertianis intermittentibus nothis, noſtris popularibus valdè communibus, atque huic climati familiaribus.

19 Incipiunt tertianae intermittentes nothae per rigorem, aut horrorem, quos poſtmodum ingens ſubſequitur calor ; ſingulis acceſsionibus invadit rigor, aliquando adeò fortis, ut quodcumque veſtium pondus valeat aeger motu illo elevare ; acceſsiones itidem duodecim, ſexdecim, aut viginti horarum ſpatio finiuntur ; lingua in acceſsione ſicca eſt & ſcabra, extra acceſsionem alba, & humida ; urina, quae in fine acceſsionum mingitur, rubicunda, haecque eſt velutì pathognomonicum ſignum febrium intermittentium, credendum enim eſt ſimiles urinas non ab inflammatoria ſanguinis diatheſi, ſed à particulis humorum, ſalibus ſimilibus, acribus, muriaticis, & diverſi generis pendere, ideò in his caſibus obſervare licèt, tales urinas poſt ſex, aut ſeptem horas à mictione, ſedimentum lateritium in fundo matulae relinquere, quaſi pulvere laterum refrictorum implerentur. Hanc doctrinam jam olim ſubodoravit Sennertus, & poſt ipſum eam diſſertè proponit Petrus Michael de Heredia in Commentario hiſtoriae Cleanactidis. Caput in acceſsione, vel dolore, vel gravitate affligitur, ac totum corpus laſſum eſt, veluti ſi fuerit fuſtibus dedolatum. Tandem infallibile eſt ſignum tertianae intermittentis, acceſsiones tertioquoque die advenire, & tempus medium inter unam, & aliam acceſsionem à febre vacare. Verum, quia rigorem diximus inter praecipua intermittentium ſimptomata eſſe numerandum, & ab eo dictas febres incipere, eaſque tertioquoque die ſibi correſpondere, duo propterea vellem dubia difficilè,

aut

aut nullo modò, ſolvenda, proponere, quomodo ſcilicèt' & à quibus cauſis fiat rigor? Et quid cauſae eſſe poſsit tam certi regreſſus febrium tertioquoque die? Difficilè eſt adeò ſolvendum problema, ut tenuiſsimum meum ingenium ad id prorſus impar ſupponam. Garriant quidquid velint ſpeculationum amatores, ſua arrogantia & faſtu internas, & congenitas rerum cauſas penetrare volentes, natura enim in ſuis operibus conſtans, & provida, eorum conceptus ſcit optimè eludere, & ipſis ne cogitantibus, rerum cauſas, aliter quam ipſi per ſuas vanas hipotheſes, explicare. Sic Galenici, humorum quadrigam in omnibus prae ſe ferentes, ab humore bilioſo acri à venis extra venas expulſo, & corporis habitum irritante, tremulum rigoris motum fieri aſſerunt. Verum cum fateantur ipſi rigorem eſſe: *Dolorificam perfrictionem cum inaequali totius corporis concuſsione*, & praeter membrorum concuſsionem, refrigerationem etiam requiri, ad eam proinde explicandam mille ambages, inaneſque rationes involvunt, ac dum his involvuntur, ipſius rigoris obliti, fruſtra in eo explicando laborant. Chymici ad neſcio quod acidum confugientes, idem cauſam rigoris, & febris eſſe defendunt, atque ex praeconceptis his hipotheſibus naſcitur, ut inſudantes hi in corrigendo acido per alchalia & volatilia ad rigorem febremque extirpandos, ac laborantes illi in bile nimis calida, ad extirpandum rigorem refrigeranda, omnes ſimul dum in hiſce laborant, oleum, & operam perdant. Libenter ergo ipſe ab eo explicando recederem, ego enim cum Sidenahamio Philoſophi nomen non ambio; atque ad ea naturae penetralia accedens, *ea planè me neſcire fateor*. Verum Tyrones ſcire ſufficiat, in omni rigore irritationem debere adeſſe in ipſo meditullio nervorum, aut membranarum, qua iſtae vehementer agitantur, & concutiuntur. Sic dum pus fit, rigores adveniunt, atque in ulceribus, dum liquor aliquis mordax interiora fibrarum penetrat, rigores excitantur, idque in omnibus partibus corporis contingit, dummodo nervis, & membranis conſtituantur. Igitur in rigore febrium intermittentium irritatio adeſt in partibus membranoſis, &

nervosis, seu messenterii, seu ventriculi, seu spinalis medullae, seu denique cujusvis partis, ubi earum fomes extiterit. Sed cum ad rigorem non tantum concussio membrorum ab irritatione, sed frigus etiam adsit, propterea conjectare licet, eam irritationem ab humore crasso, & frigido fieri, quo commoto in partibus nervosis, spiritus animales refrigerantur, undè torpor, frigus, retractio pulsuum, lividitas extremorum, initiis accessionum observantur.

20 Circa reditum paroxismorum tertioquoque die in tertiana, quartoquoque in quartana, &c. quibus non solum certò in hujusmodi febribus, dictis diebus, sed & determinatis horis aegri miserè affliguntur, minus credendum est Antiquis, naturae cujuscumque humoris febrem producentis, id tribuentibus; talis enim esse naturae, ajunt, humorem bilioſum tertianas generantem, ut propter ipsius tenuitatem & calorem, tribus tantum diebus queat ad novam producendam accessionem cumulari; contra, humorem melancholicum talis esse indolis, ut propter ipsius pondus, terreamque naturam quatuor indigeat diebus ad novam producendam accessionem, eoque penè modo quartoquoque die repetit paroxismus in quartana, tertioquoque die in tertiana, &c. Haec opinio preterquamquod plura supponit improbabilia, mille praejudiciis excogitata, praxeos operibus parum congruit, propterea minus veritati est consona. Deindè cum incomprehensibile sit, solam bilem producere tertianam, solamque melancholiam generare quartanam, imò cum certum sit, omnes humores in qualibet febre concurrere, intelligi vix potest, quo modo sola bilis repetat in tertiana, & solus humor melancholicus in quartana. Quod si tenaciter instaveris, quid in materia febrili adest, quod paroxismum per tertios, quartosve repetere cogat, id me ignorare certò scio, & aut occultae morborum indoli, aut incognitae eorum causae judico esse tribuendum. Neque enim solis intermittentibus febribus commune est, tertioquoque die repetere, plures enim observavi morbos suas periodos habentes, tertianarum more ingravescere, quod sedulò notent Tyrones in praxi. Ego autem in opere practico

diu-

diutius circa haec meditatus, tum demum conjectavi, periodos omnes in morbis ab occulto influxu aeris tamquam à causa efficiente procedere, seu hic suas mutationes ab astris accipiat temporibus determinatis; seu certis legibus moveatur ab Auctore Naturae in perpetuum statutis. Cum vero spiritus aeris, qui est pars coelestis & subtilior cum ipso permeans, certis periodis, determinato ordine, & statutis legibus agitetur, & moveatur, necesse est spiritus humani corporis ejus motus sequi, & ejus mutationibus adaptari; quod si Medici sedulò advertant, invenient nedum verum esse in periodis, sed etiam in crisibus excitandis.

21 Circa causas occasionales febris tertianae intermittentis (variis omissis opinionibus) suspicantur aliqui cum Silvio Deleboe, in bile, & succo pancreatico residere, dum enim glandulae, ductusque pancreatis à crassis humoribus occluduntur, adeò ut liber ipsi succo exitus per Virsungianum ductum in duodenum intestinum non pateat, fit ut hic diuturna mora exaltatus, immodicum contrahat acorem, postmodum in intestinum extillans, ibidemque cum vitiosa bile partibus potissimum activis destituta, effervescens, chilumque per idem intestinum transeuntem inquinans, usque ad sinistrum cordis ventriculum, imò & in ipsum sanguinem cum eodem chilo perveniens, praeternaturales excitat in ipso motus, accessionesque producit. Haec est, eorum judicio, omnium febrium intermittentium causa, solumque in eo differunt, ut bilis tum vitio, tum copia excedat in tertiana, & contrà pancreaticus liquor in quartana. At haec omnia systematica sunt & gratis conficta, ut jam ex omnium doctorum mentibus sint excussa. Igitur occasionalis tertianarum causa esse solet obstructio partium ventris ex humoribus pituitosis & bilioſis cumulata, & speciali diathesi corrupta, sic enim fit ut locis humidis paludosis degentes, nimioque aquarum corruptarum potu utentes tertianis febribus facilè corripiantur. Haec tamen non ita strictè intelligi velim, ut omnes tertianae, & quartanae ab humoribus in his partibus vitiatis semper procedant, nam vitium aliquando esse in liene, quandoque in intestinis, &

meſſenterio indubitatum prorſus eſt; ſed aliquando ſomitem tertianarum in thorace exiſtere, & pulmonibus, ac non ſemel in cerebro aliiſque partibus pro certo tenendum; quod ſedulò notare oportet, ne fortè credentes in prima regione *perpetuò* cauſam harum febrium hoſpitari, curationem eò collimare faciamus, quò fortaſſe non oportet.

22 Licèt intermittentes febres periculo vacare vulgare ſit, juxta illud divini Senis praeceptum: *Febres omnes continuae, quae tertioquoque die fortiores fiunt, magis periculoſae, quocumque autem modo intermiſſerint, periculum abeſſe ſignificant*; (a) plures nihilominus ſunt febres intermittentes cum decubitu materiae febrilis in caput, aut alias partes, quae periculoſiſsimae ſunt. Dum vero febris fuerit continua periodica, & circa criſim in intermittentem mutetur, ſignum eſt aegrum periculo defungi, atque haec eſt Hippocratis in citato aphoriſmo mens & vera doctrina. Pejus eſt, tertianam duplicem eſſe, quam ſimplicem, & acceſsiones multum temporis durare, multam enim materiae febrilis copiam adeſſe ſignificant. Si acceſsiones non ſolum eiſdem diebus, ſed & eiſdem horis invadant, longum morbum fore denunciant, juxta dictum magni Hipp. *Febre itermittenti habito, ſi acreſsiones cras eadem hora occupaverint, difficilem criſim ſignificant.* (b) Si acceſsiones adeò longae ſint, ut una aliam attingat, aut una finita, ſtatim incipiat alia, tunc hujuſmodi febres *ſubintrantes* dicuntur, & ſunt periculoſiſsimae.

23 Curationem febris tertianae intermittentis incipiunt plurimi à venae ſectione, eamque per venae ſectionem perficere contendunt, quaſi nihil aliud certè ſciant, niſi ſanguinem mittere, & purgare, eos propterea irridet Helmontius, quòd Infantem Hiſpaniarum abſque ulla ferè ſanguinis gutta pro febre tertiana curanda reliquerint, eumque prius ab hac vita fugaverint, quam febrem; è contrario Chymici (Van-helmont potiſsimum, qui vanè & futiliter, uti ipſi in more erat, quamcumque febrem intra quatriduum curare volebat) volatilibus, & ſpirituoſis medicamentis

(a) Hipp. *lib.* 4. *Aphor. ſent.* 43. | (b) Hipp. *lib.* 4. *Aphor. ſentent.* 30.

tis ad acidum corrigendum, harum febrium curationem moliuntur, quibus nihil aliud certè faciunt, quam febres minus periculosas, acutas reddere, & lethales; proinde Tyrones moneo, ut harum febrium curationem non incipiant à venae sectione, quia celeberrimorum practicorum observatione notum est, post venae sectionem, tertianam simplicem fieri duplicem, & febrem prius intermittentem verti in continuam, nisi speciales circumstantiae aegri eam necessario excercendam postulaverint; tutius ergò est ab emetico incipere curationem, non semel enim in Xenodochio Regio cum Valentinae Universitatis Primario Professore, practico celeberrimo, mihique conjunctissimo, observavi, febres intermittentes unius emetici exhibitione omnino cessisse, quod saepissimè observasse asserunt doctissimi alii, clarissimique viri in Xenodochiis. Nec opus in praesenti est, Auctorum opiniones circa emetica in hisce febribus praescribenda in medium adducere, certò enim scio plurimos ex Neotericis, medicamentum id caeteris aliis longè anteponere, quòd experimento ipsum feliciter operari animadverterint, imò Galeno, & Hippocrati solemne erat, emeticum medicamentum in principiis febrium intermittentium, pro eis citò extirpandis, offerre, propterea nescio, an Medicorum indulgentia, an ignari vulgi petulantia, nunc in usu non sint, quemadmodum antiquis temporibus erant. Sic ergò praescribi potest.

R. *Vini emetici* ℥. ij. Vel
R. *Pulv. hipecachuanae* ʒ. i. *sumatur cum jure.*

24 Aliud etiam praescribi potest cum cautionibus in Pharmacia nostra notatis, cap. de Emeticis. Hic obiter notandum emetica antimonialia certa Auctorum observatione, ut ait Sidenahamius, pro hisce febribus curandis reliqua omnia superare, verum quia multis cautionibus opus est ad ea praescribenda, ideò ad alia blandiora, consulo, Tyrones confugiant. Si aeger, utì nostris popularibus familiare est, ab emetico abhorreat, tunc purgandus est non citissimè, sed

ali-

aliqua ſpectata coctione. Sed notandum eſt, in hujus febris curatione nimis inſiſtendum non eſſe purgantibus, potius enim fugatur per alterantia, quam purgantia, idcircò tutum eſt adhibito medicamento emetico, hepatica vegetabilia praeſcribere, quibus ſi febris non cedat, ad potentiora febrifuga, ceu cortice peruviano maritata, ceu illo deſtituta, tranſeundum.

R. *Cortic. peruvian. pulverat.* ʒ. iv. *centaurae minor. radic. gentian. anà* ʒ. ij. *ſerpentariae virginianae* ʒ. i. *ſpirit. vini q. s. extrahe tinctturam, ſecundum artem. Doſis ad* ʒ. i.

In uſu etiam eſt ſpecificum febrifugum Mangeti.

R. *Cortic. peruvian.* ℔. vi. *ſerpentariae virginianae* ℔. i. *ſ. diaphoretici martialis* ℔. i. *diſtilla deſuper ſpiritus vini ſale ammoniaco acuati q. s. poſt infuſionem* 30. *dierum decantetur liquor, aſſervetur. Doſis ad* ʒ. iij.

R. *Cortic. peruv.* ʒ. i. *ſal tartari* ʒ. ij. *pulv. viper. antimon. diaphoret. anà* ℈. v. *cum ſirup. granator. fiat electuarium, ex quo ſumat aeger* ʒ. ij. *longè à paroxiſmo.*

25 Scire hic expedit, tot hiſce ſaeculis à variis Auctoribus tradi pro febribus tollendis remedia, ut omnium febrium vim longè ſuperatura videantur, verum illis tanto numero exiſtentibus, febrium nihilominus ardores adeò moleſtant, ut his omnibus quantumvis efficaciſsimis exhibitis, facilè permaneant. Solo ergò *corticè peruviano*, tamquam divino febrium antidoto fugantur, atque tam ſalutaris remedii ope prorſus tolluntur; plura alia apud Auctores non infimae notae pro eliminandis febribus venditantur arcana, ut *ſal cichor. centaurae minoris, ejuſque extractum: radix plantag. Zedoar. chelidoniae, major. imperat. gentian. angelic. valerian. aſari, tormentil: item mirrha, alumen, ſulphur, vitriolum, imò pulvis ille militaris* pyrius: *ſimiliter aqua febri-*

fu-

fuga Poterii: *duplex aqua*, *temperata*, *& calida D. Mayerne*: *emplaſtra etiam ex allio*, *ſabina*, *ranunculo*, *theriaca*, *therebentina*, *mercurio*, *adjuncta camphora*, *araneis*, *& ovi pellicula*, *multaque alia febrifuga adducta à Schrodero*, *& aliis*, quae omnia magis apud mulierculas, & agirtas, quam Medicos exaltantur, eorum enim ratione febrium incendia nec compeſcuntur, nec ſuperantur, imò febris in dies magis ardet, & magis adhuc arderet, ſi ſpeciali Dei beneficio, *corticis peruviani* uſus in Medicorum caetum non adveniſſet. Nec immorari nunc vellem in hujus ſaluberrimi medicamenti laudibus afferendis, quippè à clariſsimis viris Mortono, Sidenahamio, Tenche, & aliis factum ſuppono, atque licèt apud ignarum vulgus minimi noſtris hiſce temporibus habeatur, id Medicorum culpae, imò agirtarum abuſui judico eſſe tribuendum, eo quod extra tempus commodum, & nullis adhibitis cautelis eum exhibeant; proindè ſciant Tyrones duplicem eſſe methodum kinam kinae praeſcribendi, in curatione ſcilicèt libera, vel coacta; in curatione libera ex conſilio Sidenahamii numquam exhibeatur, niſi prius febris magnam exaltationem fuerit adepta, & ut ejus verbis loquamur: *Antequam morbus ſe*, *ſuo marte*, *antecedenter ſatis protriverit*, tunc enim corticis peruviani uſus febrem extinguere poteſt abs metu futurae recidivae. In curatione autem coacta (cum ſcilicèt judicat Medicus jam ſub initiis vires impares eſſe pro febre, ejuſque ſimptomatibus ſuperandis) ſtatim in principio, nec venae ſectione, nec purgatione praecedentibus eſt tribuendus, ut morbo ſic inducias dante, queat Medicus illicò ſua arte ei occurrere, antequam iterum denuò ingraveſcat. At, cum kina praeſcribenda, potiores ſalubrioreſque effectus producit ſola, nullis medicamentis permixta, quam quavis arte elaborata. Itaque uncia una corticis electi & in pulverem redacti in ſex doſes partita, quarta quaque hora propinanda, ut, intra diei ſpatium, aut paulo plus aſſumatur, ſic enim certo febrem ſubigit, & omnino fugat. Sunt qui, ſublata febre, ſingulis diebus drachmam corticis matutinis horis praeſcribunt ne revertatur, ut facere poſt tres ſeptimanas conſuevit, ſed etſi

eam

eam methodum non prorsus improbare audeam, neque eiam consulere, cum parum aut nihil emolumenti ex ea aegros sensisse observaverim. Satius igitur est ad recidivam vitandam locum mutare, diaetam servare, & corpus ab externis injuriis defendere. Circa operandi modum hujus tam salutaris medicamenti adeò digladiant Auctores, ut ipsius naturae potius, quam eorum judiciis litem hanc absolvendam intelligam, alii enim figendo, alii praecipitando, alii sale quodam acri febres fugare contendunt, ipse tamen dixerim cum Richardo Mortono eum corticem speciale esse fermenti febrilis antidotum, cujus operandi modus à priori est nobis ignotus, licèt à posteriori per multiplicem experientiam felices producere effectus, nobis pateat; probabilissimè nihilominus dici potest, peruvianum corticem in intermittentibus febribus primam coctionem alimentorum corrigendo ex parte prodesse, sua enim amaritie, & sale fixo primam alimentorum coctionem potest corrigere, & causas febrium intermittentium ad naturalem statum revocare; verum eo modo tantummodò febrem tollere, id certò statuere non audeo.

26 Antequam tractatum de Febribus tertianis concludamus, notare oportet, hucusque locutos fuisse de his febribus, quatenus regulares sunt, & debitam communemque sibi naturam servant, nunc vero de tertianis, quae *pernicioſae* dicuntur, quaedam admonere convenit. Igitur quandoque tertianae febres, malignam induentes naturam, à sua regulari indole adeò discedunt, ut aegros in summum vitae discrimen adducant. Eam tertianarum naturam malignam primus explicuit Hippocrates. Circa nostra tempora Ludovicus Mercatus, Pincianus Professor longè sapientissimus, tractatum edidit de tertianis pernicioſis accuratissimum. Hunc sequutus postea Franciscus Torti Mutinensis Medicus, paraphrasi, & eleganti interpretatione illustravit. Hos Auctores videant Tyrones, si liceat; nos tamen hic, praecipuam hac de re doctrinam, principaliora capita complectentem, proponemus. Igitur febris tertiana intermittens duobus modis fieri solet maligna, quoad effectus in praxi observabi-

les.

ies. Primò, dum incipiente paroxiſmo decubitus humorum fit in aliquam partem principem, exempli gratia, in ſtomachum, cor, aut cerebrum. Ergò ſi incipiente acceſsione tertianae, aeger in delirium, aut ſoporem delabatur, vel in ſincopem pronus fiat, ſeu cardialgia maligna afficiatur; quocumque demum ex his modis laboret, tertiana erit maligna, & periculoſiſsima, etenim fieri poteſt, ut ſuperata ab aegro una acceſsione, alia adveniente fortaſſe pereat. Secundo, fit tertiana maligna, quatenus impreſsionem quamdam in humoribus inducit, ex ſe aptam ad ipſos ſummopere invertendos, & corrumpendos. Hinc, licèt nullam noxam ſenſibilem in partibus praecipuis corporis producat, tamen periculoſa admodum eſt, quoniam progreſſu temporis labefactatis nimium humoribus, magnam etiam labem in caeteris partibus induci debere neceſſarium eſt. Certum eſt nihilominus, ex his duabus tertianae febris ſpeciebus multò periculoſiorem eſſe primam, quàm ſecundam; ac ſicut illa per ſimptomata partium principalium agnoſcitur, haec per ſudores coliquativos, per putredinoſam mephitim, per vomitus immanes, diarrheam profuſam, aliaque humorum corruptorum indicia, innoteſcit. Omnis ergò Mercati doctrina, ſi ad trutinam revocetur, ad ea quae hactenus propoſuimus, reduci poteſt, ex qua id utile in praxi deducitur, quod ſcilicèt in talibus febribus intermittentibus malignis *citò*, *nullaque expectata mora*, per modum curationis coactae ad corticem chinae confugiendum, atque magnis & repetitis doſibus ipſum praeſcribere oportet, donec ſedata ſit febris, & ulterius non repetat. Neque purgans, neque emeticum, neque phlebetomia, neque quidquam aliud faciendum ante corticem; ſed ipſum modo dicto praeſcribere *citiſsimè* oportet. Hoc facto, curatio regularis inſtitui debet, ne febris revertatur, per amara, digeſtiva, leviter purgantia, quemadmodum de tertianis regularibus dictum eſt. Id pro coronide advertendum, corticem peruvianum duplicata doſi per repetitos clyſteres ex aqua communi applicatum miros interdum produxiſſe effectus.

27 Circa quartanam febrim pauca nunc reſtant dicenda.

Cognoſcitur facillimè, & ab aliis febribus in eo diſtinguitur, quod acceſsiones, vel quartoquoque die invadant, vel ſaltem ſibi correſpondeant; incipit praeterea ab horrore, qui ſolum ſecundùm magis, & minus diſtinguitur à rigore, eodem enim modo fit, & ab eiſdem cauſis procedit, licèt non ita intenſis; acceſsiones etſi nimiùm moleſtant, diebus tamen liberis aegri ſolent conſueta munia excercere. Longus eſt morbus, qui ad annum, & ultra aliquando progreditur, verum ſalutaris, atque aliis morbis ſuperveniens ſalutem portendit, juxta illud divini ſenis praeceptum, 6. Epid. ſect. 6. *Quartana correpti à magno morbo non corripiuntur, ſi verò corripiantur prius, & accedat quartana, liberantur*; propterea alibi ait, lib. 5. Aph. ſent. 70. *Quartanis capti non admodum convulſionibus capiuntur, ſi verò prius capiantur, & quartana ſuperveniat, liberantur*; ſimiliter quartanae fiduciam, & ſecuritatem explicat his verbis, 1. Epid. ſect. 3. *Quartana ſecuriſsima omnium, & facillima, ac longiſsima eſt.* Inſuper hic notandum, febres quartanas in alias graviores, aut hecticas tranſire poſſe, ſi nimium rebelles fuerint, quod innuit Cous noſter, lib. 1. Coac. num. 166. *Quartanae hibernae quandoque in acutos morbos tranſeunt.* Ac tandem melius eſt aeſtate, quam autumno invadere, juxta illud: *AEſtivae quartanae magna ex parte breves, autumnales verò longae.* (a) Neque omittendum, non nimis fidendum quartanae ſi diutiſsime duret & improvida curatione tractetur, ita enim hydropem, icterum, aliaque ſaeviſsima mala induxiſſe vidimus, & ex intempeſtivo & multiplici remediorum uſu in pleuritidem & phrenitidem tranſiſſe obſervavimus.

28 Curationem quod ſpectat, eam à venae ſectione incipiunt Galenico-Arabes, quemadmodum diximus de tertiana, verum eiſdem rationibus hic refellitur, quibus ibi impugnatur. Ego verò quartanarios moneo ut morbum tolerent & optima diaeta utantur. Quod ſi, ut fieri ſolet, impatientes ſint, curationem, quam ſemper tempori commitendam cenſeo, ſic inſtituo. Poſt tres acceſsiones praeſcribo corticem pe-

(a) Hipp. *lib. 2. Aphor. ſent. 25.*

peruvianum qui ad tres ſeptimanas febrem fugat. Sub eo intervallo jubeo ut aeger aſſumat ſingulis diebus matutino tempore lac aſininum, donec quartana iterum adveniat. Praeſente quartana abſtinet aeger à lacte, ſed tres ad minus acceſsiones ſuſtinere debet, quibus peractis iterum corticem peruvianum praeſcribo, atque hac methodo aegri minore moleſtia longum tempus huic febri debitum tranſigere poſſunt. At ſi aeger lac aſſumere nequeat, ejus loco ſerum lactis cum tartaro vitriolato prodeſt, quin neceſſe ſit totum intervallum quartanarum his rebus implere, ſed aliquibus tantum vicibus ex Medici intentione id efficiendum.

29 Non modo Medici, ſed & vulgares multa jactant arcana pro febribus quartanis fugandis, nulla enim quantumvis vilis muliercula eſt, quae adverſus Medicos non garriat, ſibi vellens pro hiſce febribus infallibile arcanum arrogare. Miror tamen, Riverium ſuum proponere antiquartanarium, adeò occultum, & incomprehenſibile, ut neſciam certè, an ipſe idem potuiſſet explicare. Ex triplici hercule componi aſſerit, ſole, ſcilicèt, mercurio, & antimonio, quibus ita ab eo confusè relictis, occaſionem arripuerunt plures ex Chymicis tale febrifugum parandi, & ſenſum Auctoris extrahendi, inter quos, caeteros, meo judicio, praeſtat Joannes Hartmanus. Adeò infallibile ſuum praedicat arcanum Riverius, ut innumeros tum tertiana, tum quartana affectos eo fuiſſe curatos memoret, unde non tantum quartanis, ſed & tertianis utile eſſe praedicat. An ergò ita certum ſit febrifugum, quemadmodum à Riverio commendatur, mihi certò non conſtat, quippè id adhuc in uſum non adduxi, verum optarem ipſe aliquos ex Medicis id experimentis comprobarent, quia ſi ita eſſet, ut ab Auctore proponitur, toto certè generi humano magnum exinde beneficium ſequuturum, non inficiabor; quod ſi aliquis hujus medicamenti vires expertus, ejus quoque utilitatem magnam eſſe agnoſcat, in publicum quaeſo offerat, ut artis medicae decus in dies creſcat, & humani generis ſalus magis affulgeat. Id certum eſt quartanam febrim raro, aut numquam medicamentis cedere ſed tempori, adeò ut

cum longiſsima ſit, non fugatur, quouſque tempus, ipſi à natura datum, impleatur. Propterea minimè inſiſtant Medici in uſu purgantium, nec pillularum, nec diureticorum, nam ea methodo nihil aliud efficient, quam febrem ex ſe benignam, & ſalutarem, reddere laborioſam, & malignam, ut ſaepè vidimus. Satis ergò eſt, aegros admonere, ut optima ſervata victus ratione, tempori, & naturae ſe commitant, & medicamentis parum fidentes, completo tempore quartanae debito, tum demum, ſe convalituros, ſperent.

CAPUT V.

De Febribus ardentibus.

30 CUM quis febre correptus calorem ardentem, ſiccum, interdum urentem, ſeu exterius ſeu interius percipit cum vehementi & fermè inhexauſta ſiti, *febre ardente* laborare dicitur. Interiorum partium, aliquando etiam exteriorum phlegmonem commitari ſolet, interdum ſine phlegmone, ſed numquam abſque phlogoſi, accedit. De ea febre ardente hic loquimur quae ſine phlegmone eſt, & continuò aegrum ingenti calore & moleſtiſsima ſiti torquet; verum quia praeter dicta ſigna febris ardentis, alia etiam ſimptomata eam commitantur, quae totam Medici intentionem quandoque expoſcunt, idcircò ea omnia prout ab ipſa natura offeruntur, ſedulò Tyronibus proponemus. Febris ardens aeſtate potiſsimum invadere ſolet, ardente praeſertim Sirio, totoque terrarum orbe ſolis caloribus aeſtuante; incipit frequenter ſub falſo titulo conſtipationis, uti omnibus febribus acutis commune eſt, & non immeritò, numquam enim propter hominum negligentiam tranſpiratio citius impeditur, quam tempore aeſtatis, magno vigente calore, quia poſt aliquod excercitium, toto corpore benè tranſpirante, detractis repentè veſtibus, ut aliqui imprudenter faciunt, aurae frigidae viam parant, undè tranſpiratione impedita, hujuſmodi febribus, ſi non in totum, ex parte ſaltèm tribuunt

buunt occaſionem. Incaepta ſemel febris gravia adhuc ſub initiis non habet ſimptomata, imò in dies creſcente febre, augentur, juxta illud : *Circa principia, & fines omnia ſunt imbecilliora, circa ſtatum verò fortiora.* (a) Febris continua eſt, acceſsiones licèt ſingulis diebus invadant, tertioquoque die ut plurimum ſibi mutuò reſpondent, ut inde occaſionem nonnulli arripuerint, quaſdam ardentes febres ſub nomine *febris tertianae continuae* indigitandi. Acceſsiones nec incipiunt rigore, nec horrore, durant ſolummodò ad decem, vel duodecim horarum ſpatium, & levi quodam madore, aut ſudore integro finiuntur. Pulſus inaequalis eſt, & celer, urina ſub initiis parum diſtat à naturali, poſtmodum verò flammea ſeu intensè flava, lingua ſicca, aſpera, nigra, praeſertim in acceſsione, in qua omnia ſimptomata ingraveſcunt, propter quod Tyrones rogo, ut dum aegrorum curationi incumbunt, febrientes acceſsionis tempore videant, ex ea enim totus indicationum ordo perfectè deſumitur; lingua interdum lineam habeat nigram, & ſcabram in medio, quam ex utraque parte cingit fimbria inalbeſcens. Praedicta ſimptomata rarò non commitantur ardentes febres, verum alia etiam advenire ſolent gravicra, quae in diverſis aegris propter cauſarum diverſitatem, aut temperamentorum varietatem, magnam in Medico diligentiam expoſcunt, & aegris quandoque pravum negotium faceſſunt. Sic tremores, ſeu ut melius loquar, motus convulſivi ſunt frequentes, delirium ſaepè adeſt, ac non rarò poſt delirium coma, aut alius ſoporoſus affectus febrem commitatur, ita ſaepè vidi febre ardente laborantes ſopore corripi non nimis profundo, atque pauca verba loquentes, ea delirando proferre; cardialgia, ſeu dolor partis ſuperioris ventriculi aliquos infeſtat, quam ſaepiſsimè ſequitur tenſio totius abdominis & hypocondriorum. Diarrhaea ſupervenire etiam ſolet, quae eſt aliquando biliioſa, quandoque ſeroſa, & non rarò cruda. Caput ab initio dolet, ac per totum morbi decurſum vehementer offenditur. Tandem difficilis ſaepe adeſt reſpiratio,

quae

(a) Hipp. *lib.* 2. *Aphor. ſent.* 30.

quae omnium aliorum ſimptomatum ſaevitiam longè antecellit. Hic notandum, febrem ardentem duplicem eſſe, aliam exquiſitam, aliam ſpuriam. Utraque cognoſcitur per ſigna ſuperius poſita, ea tamen differentia, ut in legitima vehementiora multò ſint ſimptomata, quam in notha. Notare etiam oportet, exquiſitam ardentem in noſtro climate raro advenire, notham verò frequentiſsimam eſſe, idque peculiare habet, ut in peripneumoniam facilè tranſeat, quapropter in ſtatu hujus febris ſaepiſsimè adeſt ſpirandi difficultas, quae aegros in magnum diſcrimen adducit. Tranſire etiam ſolet in febres intermittentes, ita tamen, ut cum mutatur in peripneumoniam periculum ſit majus, ſecus dum tranſit in tertianam, fermè enim ea mutatione ſanatur aeger.

31 Plethora interdum, etſi raro, cauſa occaſionalis eſt febrium ardentium, ut fit in his quibus conſueta ſanguinis evacuatio ſupprimitur. Obſtructio cum diatheſi frequentes ſunt harum febrium occaſionales cauſae. Dum enim humores biliosi detenti calorem, acrimoniam, corruptionem determinatae conditionis adquirunt, proclives ſunt ad febres ardentes inducendas. Locus bilioſorum humorum poteſt eſſe totum corpus, ut interdum ſumma cutis, interdum caput, aliquando pectus, at frequenter hypocondria harum febrium fomitem contineant. Inter cauſas efficientes praecipua eſt aer calidus, aeſtivus, urens, aut occulta vi bilioſos humores certa corruptione inficiens. Diaeta maxime confert ad febres ardentes producendas, ut alimenta calida, exercitia vehementia ſub ſole ardente, potus ſpirituoſi, & id genus alia. Animi pathemata, iram praeſertim has febres generare, quotidiana experientia conſtat.

32 Febris ardens morbus eſt acutiſsimus, periculoſus, & quam maximè lethalis, ſi pravis praeſertim ſignis, aut ſimptomatibus ſuperiùs poſitis commitetur, atque quo haec graviora, & intenſiora erunt, eo febris erit magis acuta, & pernicioſa; ad quatuordecim dies extenditur, quandoque autem ad 21. qui terminus eſſe ſolent morborum acutorum, juxta illud: *Acuti morbi quatuordecim diebus judicantur.*

tur. (a) Si die undecimo, vel alio quovis die circa 14. rigor adveniat aegro, ac poſt rigorem inſignis aliqua evacuatio ſequatur, ſive per vomitum, ſeu per alvum, urinam, ſudores, &c. bonum eſt, juxta illud. (b) *Febre ardente laboranti, rigore ſuperveniente, ſolutio fit.* Solet etiam haec febris ſine rigore per alvi fluxum, vomitum, ſudores, ſanguinis ex naribus effluxiones, ſeu ſubito, ſeu paulatim factas fugari. Si autem rigor ſuperveniat aegro jam debili, ac nulla humoris excretio modo dicto appareat poſt rigorem, pravum ſignum eſt, juxta illud: *Febre continua laboranti, rigore ſuperveniente, aegro jam debili, lethale.* (c) Si tenſio hypocondriorum ſtatim ſub initiis adveniat, imò quocumque tempore febris, mala eſt ex Hippocrat. libr. Prog. frequenter enim delirium antecedere ſolet, propterea numquam recedant Tyrones ab aegris, niſi hypocondria inſpiciant, ex eis enim attentè inſpectis, plura utiliſsima deducuntur ad praeſagiendum, & curandum. Si urina prius crocea, repentè fiat limpida inſtar aquae, delirium citò adventurum demonſtrat, teſtante Hippocrat. 4. Aphoriſm. ſentent. 72. Tandem qui plura de his velit, legat Hippocr. noſtrum, in Prognoſticis, Epidemiis, & Aphoriſmis, ubi quaecumque de his poſſunt offerri, longè explanantur, propterea rogo Tyrones, ut ipſum habeant prae manibus „ plus enim, ut ait Duretus, ſequitur utilitatis à lectione „ Hippocratis uno die, quam ab omnibus pragmaticis uno „ ſaeculo.“

33 Curationem hujus febris incipere ſolent Galenici plurimi, medicamento purganti, vulgo dicto *minorativa*; ſed fatalis ignorantia; neſcio enim an craſsior error in medica arte hucuſque fuerit obſervatus, quam aegros febribus acutis afflictos, purgationibus magis affligere, & vitam potius, quam cauſam febris minuere, nihil enim aliud certè faciunt vulgares minoratores in febribus acutis, quam novum addere febri nimis effraenatae fomitem, ut nova ſimp-

to-

(a) Hipp. *lib.* 2. *Aphor. ſent.* 23.
(b) Hipp. *lib.* 4. *Aphor, ſent.* 58.
(c) Hipp. *lib.* 4. *Aphor. ſent.* 46.

tomata, eaque graviora producat, idcircò Hipp. 1. Aphor. sent. 22. *Concocta medicari oportet, non cruda, nisi humor turgeat.* Et alibi: *In acutis morbis rarò, & in principiis, medicinis purgantibus uti, & hoc cum praemeditatione faciendum.* (a) Nec obstant futiles quaedam rationes, & inania Auctorum experimenta ad purgans medicamentum in principiis acutorum morborum praescribendum, quippè subtilis ingenii, aut inversae Auctorum intelligentiae sunt effectus: neque etiam obstat vulgare illud muliercularum effugium, medicamentum purgans leve scilicèt esse praescribendum sub initiis, ut prima regione sic à sordibus liberata, tutius ad sanguinem mittendum Medicus accedat; quoniam haec, insani vulgi sunt turpia deliramenta, quippè cum materia morbosa altè tunc corpori sit immersa, nihil ex ea certè educi potest, quinimo catharticum virulenta vi nocet, & subdola levaminis specie fallit. Ac licèt in prima regione sint aliquae impuritates, haeque per medicamentum leve purgans excernantur, nihilominus vix dici potest, quantò majus sit detrimentum á medicamento purganti febrienti inductum, quam utilitas ex ventre mundo, ut vulgus loquitur, consequuta. Tutius ergò est, statim sub initiis, ubi metus praecipuè est pravi humorum apparatus in messenterio, clysterem refrigerantem, & emollientem adhibere, eumque si alvus non obediat, iterum praescribere, ac si opus fuerit per totum morbi decursum repetere. Venae sectio in febre ardente tunc tantum confert, cum plethora morbo tribuerit occasionem, alias noxia est, quidquid vulgares Medici contra clament, qui nihil aliud sciunt quàm venam secare in quavis febre sine discrimine. Excipe tamen febres, quae paratae sunt phlegmonem cursu morbi alicubi inducere, sub eo enim casu conducit sanguinis missio modice celebrata. Excipe etiam febrem ardentem notham, in qua sub initiis sanguinem extrahere ad inflammationem pulmonum vitandam haud noxium est. Id mali genus pauca postulat medicamenta, sed acida omnia seu vegetabilia ut limonum, granatorum, ci-

(a) Hipp. *lib.* 1. *Aphor. sent.* 24.

citri, seu minerali a ut nitrum, spiritus salis, sulphuris, v trioli, & similia parcè praescripta febrem temperant. Conferunt etiam emulsiones ex seminibus frigidis, addito, si vigilia urget, semine papaveris albi. Haec medicamenta sub initiis & incremento febris ardentis sunt opportuna, at sub statu conveniunt nitrum stibiatum ad gr. iiij. bezoardicum animale ad gr. viij. itemque confectiones hiacintorum & Gentilis cordialis, atque modicum aquae theriacalis, aliaque id genus pro re nata, ex quibus potionum formulae concinnè confici possunt.

34 Circa potum aquae frigidae in febribus sciendum est, aquam instar glaciei concretam, quam nunc profusa undique voluptas in publicis tabernis magnarum Civitatum ad communem usum paratam habet, inutilem prorsus esse, imò & hominibus sanis pernicioſisimam, ex ejus enim usu, ne dicam abusu varios procreari morbos saepe videmus; verum aqua nive refrigerata, qualis apud nostrates in usu est, febrientibus omnibus est utilisima. Bibitur ergò aqua in febribus, vel naturalis prout ex fontibus ipsis emanat, vel medicata, aliquibus medicamentis morbo appropriatis decocta, ac nesciunt nostri temporis Medici, ut notat Fuller, aquam aegris praescribere, nisi viperinam, aut saccharum, aut aliud quippiam immisceant; ipse autem judico aquam naturalem utilem valde esse, praesertim si nitrum cum ea misceatur. Si autem aqua herbis quibusdam cocta magis arrideat, praescribatur in febribus ardentibus ptisana ex succo limonum & saccharo, aut decoctum radicum fragariae, & cichorii.

35 Ea methodo quiescere debet Medicus in his febribus usque ad diem 14. quo transacto, si febris cum symptomatibus jam mitior fuerit reddita, atque natura, per vomitum, alvi fluxum, sudores, &c. evacuationem materiae moliatur, totum opus ipsi relinquendum, ac abstineat à remediis, haec enim febris melius curatur per pauca, quam per multa medicamenta, imò ex multa farragine remediorum, ut nebulones faciunt, in dies magis exacerbatur.

36 Haec est Hippocratica methodus curandi febres ar-

dentes, ſedula Naturae obſervatione aſſequuta, quae ita excerceri debet, niſi aliquod graviſsimum ſimptoma eam aliter faciendam expoſcat, urgentiori enim ſuccurrendum eſſe clamat medicina, unde non rarò accidit, ut ratione ſimptomatum nimis urgentium, curatio ad ipſa potius, quàm febrem ſit dirigenda. Inter ſimptomata, quae regularem hujus febris curationem invertunt, adnumeratur dolor in pectoris cavitate ſimilis dolori pleuritico: ſub eo caſu ſequens medicamentum praeſcribi poteſt.

R. *Conf. alcher. incompl. & pulv. c.c. anà* ℈. i. *ſirup. papaver. rubri* ʒ. ij. *aquae card. bened.* ʒ. iij. *me. repetatur.*

37 Cave tamen, ne pulverem ſanguinis hirci pp. in his febribus pro ea pleuritide ſpurea praeſcribas, nam praeterquàm quod vanum eſt quidquid de ejus viribus traditur, noxium eſſe experientia compertum. Inſuper ſi coma, delirium, aut alius capitis gravis morbus adſit,

R. *Conf. alcherm. incompl. & pulv. marq. anà* ℈. ſ. *ſpirit. c.c. ſuccinat. gs.* vi. *ſirup. endiv.* ʒ. ij. *aquae card. bened.* ʒ. iij. *me.*

38 Tandem, ſi ab initio adſit alvi fluxus, ſedulò hic contemplandus, nam ſi bilioſus, aut ferоſus ſit permittendus, etſi ex morbi potius vi quam Naturae naſcatur, fit enim ut humores diſgregati expellantur, alias nocituri. Si crudus ſit, videndum an cum debilitate, aut irritatione procedat, nam abſtinendum à nimio refrigerantium uſu, miſcendaque ſunt cum his roborantia ſi ex ſtomacho aut inteſtinis flaccidis proveniat, quod non ſemel fieri vidimus; ſi vero ex nimio viſcerum ardore incocta dejiciantur alimenta & humores vitioſi ac corrupti, tunc decoctum album Sydenahamii, quod in Pharmacopaea Matritenſi, proſtat, commodum eſt, itemque clyſteres ex decocto pulli gallinacei aceto roſaceo immixto, vitantes adſtringentia, & externis robo-

ran-

rantibus naturam juvantes, ut cum vitiosa pellit, non nimis langueſcat. Sub his casibus aquae potus modicus esse debet, nec nitrum addendum, utpote alvum laxare paratum, imò fruſtulum panis torrefacti aquae simplici immittere, & sine coctione ulla relinquere, aquam reddit hujusmodi aegris congruentem. Id pro coronide advertendum, hirudines post aures applicatas in statu febris, cum aeger delirio aut sopore affigitur, optimum esse remedium, pro quo etiam fine conducit *lotio pedalis* Fuller, & capiti exterius applicatum aliquod medicamentum refrigerans, ut lac, succus symphiti & id genus alia. Sed dices, quomodo cognosci potest diarrhaeam crudam ab irritatione pendere, non ab inertia, & debilitate? Respondeo facilè agnosci ex ipsa aegrotantium relatione, nam si ipsi referant dolorem in regione stomachi, etsi levem, antecedere alvi fluxum, ac tempore dejectionis sensum caloris, & acrimoniae in intestini recti extremitate sentiri: si interim in materia excreta lineae quaedam veluti nigrae, aut flavae, reliqua existente alba, appareant, certò significant similem alvi fluxum ab irritatione potius, quam debilitate ventris procedere.

CAPUT VI.

De Febre synocho.

39 FEbris synochus post Galenum & posteriores Graecos sub speciali ordine collocata, etsi ad febres continuas ardentes pertineat, quia certas secum fert proprietates, diversamque à caeteris febribus curationem postulat. Est igitur: febris continua ardens non tam biliosa quam sanguinea, cujus indoles cum vix possit unica diffinitione comprehendi, ex ejus historia facilè patebit. Sine rigore aut horrore incipit, at interdum simplex refrigeratio praecedit. Homines plethoricos, juvenes, exercitatos, bene nutritos adoritur vere & aestate: sub ipso ingressu febris vehemens, sed calor neque urens neque acutus, quin potius halituosus

& blandus: ſitis moleſta, ſed quae potu ſedatur, ſecus ac fit in ardente febre bilioſa: lingua per initia humida & albeſcens, deinceps ſicca: facies florida, inflata, rubeſcens: pulſus magni, vehementes, ſine duritie, niſi cum febris haec eriſipelas, variolas, aut aliam cutis inflammationem, vel partium interiorum phlegmonem praecedit, ſub eo enim caſu, pulſus aliquam duritiem cum tenſione participat: oculi illachrimantes cum levi rubore: caput dolet & pulſatus arteriarum colli & temporum viſu percipiuntur: urina flammea: alvus modo occluſa, modo fluida ut excrementa bilioſis humoribus mixta dejiciantur. In ſtatu morbi delirant aegri: hypocondria elevantur: vigilia interdum, non raro ſomnus cum torpore moleſtat. Solvitur febris ſynochus ſeptem, novem, undecim, aut quatuordecim diebus. Quo ſimptomata ſub initiis vehementiora, eò citius aegritudo finitur; quod ſi ad ſeptimum diem malum increſcit, ad undecimum aut decimum quartum extenditur. Periculoſa eſt haec febris, tum ex ſe ipſa, cum maximè cum in peripneumoniam mutatur, quod, morbo jam provecto, fieri conſuevit: ſi vero in intermittentem febrem tranſeat, ſine diſcrimine eſt. Sudore, haemorragia, diſſenteria, haemorroidum fluxu, & interdum vomitu terminari ſolet, ita tamen ut interdum una, ſaepe plures ex his excretionibus conjungantur. Id notare expedit, febrem ſynochum triplici curſu metam abſolvere: modo increſcens ab initio ad finem uſque percurrit: modo poſt primam invaſionem minuitur impetus & continua diminutione in finem tendit: aliquando ſub eo ſtatu quo incipit uſque in terminum perſeverat; quod Graeci accuratè inſpexerunt, ac propriis nominibus indigitarunt.

40 Cauſa occaſionalis febris ſynochi eſt plethora, quae ſemper adeſt, eamque non raro aliqua viſcerum obſtructio cum diatheſi phlogiſtica commitari ſolet. Efficiens cauſa omnium efficaciſsima eſt aer ſeu manifeſtis, ſeu occultis viribus laedens, ut per conſtitutiones epidemicas palam fit. Diaeta improvida etiam hanc febrim excitat. Sic inſolatio, quam Graeci *Syriaſim* vocant, exercitationes vehementes ſub corporis plenitudine, alimentorum boni ſucci major quam

pro

pro viribus copia, & id genus alia febrem ſynochum procreant. Animi pathemata vehementiora in plethoricis nullum morbum frequentius generant quam febrem ſynochum.

41 Curatio hujus febris ſic inſtituenda ut venae ſectio tamquam remedium neceſſarium cito exerceatur, purgatio numquam, quia nullo non tempore noxia eſt. Nitrum aqua pura mixtum optimum potum pro febre ſynocho praeſtat. Si quatuor drachmae nitri *purificati*, ſex aquae fontanae libris infundantur, ſaluberrimum conſtituunt pro omni febre ardente remedium. De caetero paucis hic medicamentis adlaborandum, praeſtat enim Medicum in ea febre ſe potius ſpectatorem, quam imprudentem artificem conſtituere, praeſertim ſi narium haemorragia inſtet, aut ſudor utilis, tunc enim opus naturae bene operanti relinquendum. Quod ſi ſimptomata caput, nervos, aut alia viſcera nimium moleſtent, his auxiliis oppugnanda, quae ad febres ardentes antecedenti capite attulimus.

CAPUT VII.

De Febre maligna.

42 NIhil apud vulgus communius, quam aegros mortuos febre maligna periiſſe, unde haec eſt quotidiana per urbem fabula: *Febris maligna fuit, Medicus eam non cognovit, & aeger mortuus eſt*: huic errori anſam dederunt vulgares Medici, qui febres ardentes, & alias quaſcumque, ſaevis ſtipatas ſimptomatibus, in malignarum claſſe reponunt: hinc adhibitis alexipharmacis, & calidis medicamentis ad fictam illam, quam ſupponunt, malignitatem ſubjugandam, novum fomitem febrienti homini addunt, & febrem prius fortaſſe levem reddunt ipſi malignam; proinde crediderim cum Sidenahamio plures dirae mortis ſaevitiae tradidiſſe fictum & ſuppoſitum malignitatis nomen, quam inventionem pulveris pyrii, atque plures febres, quas vulgus malignas vocat, ex improvida, & intempeſtiva methodo po-

potius, quam ex ſua natura tales eſſe. Nec interim negamus, dari aliquas malignas febres, ſed non ita frequentes, ut vulgus loquitur, quapropter, ut Tyronibus notum ſit, qua via in earum cognitione ſit procedendum, eas ut à clariſsimis in medicina viris, & expertiſsimis practicis traduntur, breviſsimè exponam. Febris maligna magnam habet cum peſte analogiam, atque ab ea penes magis, & minus ſolummodò diſcrepat, proinde apud aliquos febris peſtilentialis audit, differunt tamen in eo, quod in peſte plures intereant, quam ſerventur, in omnes populariter graſſetur, & ab aere infecto ut plurimum pendeat; non ita febris peſtilentialis & maligna, quae aliquos ſolum invadit, & ex ea plures ſervantur, quam moriuntur.

43 Eſt ergò maligna febris propria, de qua hic loquimur (impropriam namque appellant communiter Medici quamlibet febrem diris ſimptomatibus ſtipatam) quae ſub benigno praetextu magnas injurias parit; accidit enim, ut cum bonis ſignis, Medico & aſsiſtentibus ne cogitantibus, aegri in manibus inopinatè pereant; atque cum diverſo modo ingruere ſoleat, propter cauſarum eam producentium diverſitatem, idcircò ejus cauſas prius examinabimus.

44 Cauſam febris malignae dixerunt antiqui eſſe humorem venenatum, ſeu ſanguinem, naturam veneni aemulantem, quem humorem malignum appellant, verum in ea malignitate explicanda multum diſsident. Alii dicunt in ſordida, & *totali* humorum putredine, conſiſtere malignitatem; alii in corruptione *totali* ſanguinis, & humorum; alii in qualitate quadam maligna: alii denique, ut praedictas quaeſtiones uno verbo abſolvant, in qualitate occulta, conſiſtere judicant. Neoterici autem altius morborum cauſas inquirentes, febres malignas omnes ex duplici aſſeruerunt fonte manare, ex coagulatione ſcilicèt aut ex diſſolutione: ſic alii in febribus malignis acidum quoddam fixum ſupponunt, quod liquida coagulando, eorumque perennem motum impediendo, ipſa minus liberè circulare facit, & ſimptomatibus inde advenientibus anſam praebet, cui opinioni vehementer opponuntur aliqui nullum acidum in ſanguine hoſpi-

pitari, & rationibus, & experimentis ſuadere conantes, quod verum eſt in ſtatu naturali, non in morboſo. Alii in ſale quodam volatili acri, nimiam ſanguinis, & limphae diſſolutionem molienti, malignarum febrium cauſam collocant, in quam opinionem fertur clariſsimus Zuingerus ſcribens: *Caeterum probabilior ſententia videtur, malignitatem conſiſtere in fermento acerrimo ſpirituoſo, fluida corporis immutante, & ſolida irritante.* Haec tamen omnia non ita intelligi velim, ut febres malignas, opinemur, à diſſolutione, aut coagulatione humorum pendere, nam diſſolutio, & coagulatio ſunt effectus febris malignae, non cauſa. Igitur, pro cauſa malignitatis ſtatuere oportet principium quoddam ſubtiliſsimum, acerrimum, activiſsimum ſpecialis naturae, & indolis, quod humoribus noſtris communicatum, eos mirificè turbat, & corrumpit, & inter alios effectus, quos producit, eos quandoque coagulat, quandoque diſſolvit. Attamen cum effectus in humoribus magis perceptibiles in febre maligna ſint eorum coagulatio, & diſſolutio, propterea communem loquendi modum inſequentes, de ipſa diſſeremus, vel quatenus coagulatione, vel diſſolutione comitatur. Interim animadvertimus, non raro febres malignas ſub initiis inducere diſſolutionem; accedente earum ſtatu, magnam coagulationem, quas mutationes ſecundum varias humorum diſpoſitiones contingere, in praxi obſervamus, eaſque Tyrones per ſua ſigna cognoſcere poterunt. Inter cauſas occaſionales plethora interdum, at raro: obſtructio frequenter: diatheſis frequentiſsime adnumeranda, etenim diſpoſitio humorum ad putredinem, corruptionem & acrimoniam, quae per obſtructionem & diatheſim erumpit, ad febrem malignam procreandam multum confert.

45 Cauſae efficientes potentes inducere febres malignas ſunt plurimae, inter quas primum locum ſibi vendicat aer, tetris vaporibus nimiſque corruptus exhalationibus, vel à cadaverum ſtrage, ut tempore belli contingit, vel è terrae criptis lociſque ſubterraneis vi alicujus terraemotus elevatis, vel ſpeciali ſiderum influentia. Ea igitur labe imbutus febres malignas creare poteſt. Conducit etiam maximè ali-

men-

mentorum penuria, & annonae caritas, hinc namque fit, ut quaelibet gentium ſors, pravis ad replendum ſtomachum alimentis ſeſe ingurgitans, corpus ad cachochimiam diſponat, atque ita facilè in graviſsimos morbos incidat, unde naſcitur vulgare illud: *Poſt famem, peſtis.* Sed praeter infectum aerem, & improvidam diaetam, adeo animi pathemata hic vim ſuam exerunt, ut ferme eorum proprium ſit id mali genus procreare.

46 Febris maligna jam citò ſub initiis adeò prava inducit ſimptomata, ut nullum ſit in humana natura, quod febrem malignam quandoque non commitetur, verum inter alia quae ſtatim producit, ſibi familiaris eſt *debilitas virium*, id enim hujuſmodi febribus commune eſt, ut vires ſtatim in principiis debiles reddant. Haec tamen virium debilitas non ſemper eſt eſſentialis, ſed quandoque per aggravationem, quod ad prognoſim maximè conducit, quippè viribus ab initio debilibus per eſſentiam, rarò, aut numquam aeger convaleſcit; contra, ſi debilitas ſit per aggravationem, & bona methodo tractetur, ſolet in curationem ſalutarem devenire. Neque Tyrones intendant virium has differentias per ſolum pulſum agnoſcere, nam neceſſario caetera etiam ſigna conſulenda ſunt. Si igitur aeger, quoad decubitum, reſpirationem, & ſomnum, & alia, quae in ejus curatione offeruntur, benè ſe habeat, atque interim pulſus parvi ſint, & debiles cum intermixta aliqua pulſatione fortiori, credendum eſt, vires eſſe debiles per aggravationem; ſi verò pulſus parvi fuerint, ſimulque delirium, & convulſiones cum ſpirandi difficultate, anxietatibus, malo decubitu, & membrorum impotentia conjungantur, certè vires debiles ſunt per eſſentiam. Hoc ergò ſimptoma, debilitas ſcilicèt virium, commune eſt omni febri malignae, ſive haec cum coagulatione, ſive cum diſſolutione conjuncta ſit, verum quia ſimptomata reliqua pro harum rerum diverſitate variant, idcircò claritatis gratia, ſimptomata cuicumque propria ſigillatim proponam.

47 Febris maligna cum coagulatione, praeter virium lapſum, incipere ſolet levi quodam horrore, aut rigore, qui ſe-

ſemel, & iterum, ac inordinatè ſaepius invadere ſolet. Poſt rigorem ſequitur levis calor ad tactum, huncque levem calorem comitantur lingua ſicca, & ſitis intenſa, urina parum diſtat à naturali, anxietates magnae circa praecordia, inappetentia ſumma, dolor gravativus in capite, quem poſtmodum morbo creſcente coma, delirium obſcurum, aut cathoche ſequitur, extremitates frigidae, lipothimiae frequentes, parotides, ac tandem maculae purpureae, lividae, aut nigrae; quae certum eſſe ſolent mortis jam jam inſtantis indicium. Haec omnia miſerè aegros excruciant, pauco interim exiſtente calore. Febris maligna cum diſſolutione incipit per rigorem, quem ſequitur poſtmodum calor non nimis intenſus, cum ſiti, linguae ſiccitate, & urina fere naturali, pulſus eſt frequens, & parvus, dolor capitis adeſt, quem ſequitur delirium, convulſiones, & tremores, hemorragiae, ſudores ſimptomatici, nimia jactatio, & inquietudo, vigiliae, & alvi fluxus ſeroſi, aut varii, & plurima alia ſimptomata, eaque anomala, & minimam inter ſe connexionem habentia, quibus additur ſignum ſanguinis venae ſectione educti, in febre enim maligna cum diſſolutione ſummè diſſolutus, ſicut in febre cum coagulatione ſummè coagulatus apparet. Quamquam in hoc ſigno non omnis fiducia collocanda.

48 Prognoſis hujus febris, à quacumque cauſa proveniat, incertiſsima eſt, quia plures cum bonis ſignis è medio ſublati ſunt, alii autem cum lethalibus, ab orci faucibus erepti fuerunt. Multi cum ſignis coctionis in urinis perierunt, alii ſine ſignis coctionis levati ſunt. Nihilominus ſi parotides in principiis appareant, aegrum pravè ſe habere ſignificant; ſi autem veniant cum ſignis coctionis, quae nec majores ſint quam ferri poſsint à parte affecta, nec minores quam purgare valeant aut tollere morbum: ſi ſint plus diffuſae, quam contractae; citra nimium ruborem, & dolorem bonae ſunt; contra, malae. Si interim exiſtentibus parotidibus alvus libera, & bilioſis humoribus fluat, ſpes ſalutis adhuc eſt ex Hipp. Interim maculae lividae, & nigrae in febre maligna, à quavis cauſa oriri ſolitae, certiſsimum ſunt

mortis indicium, praeſertim, ſi ante ſigna coactionis, & ſimptomatibus ingraveſcentibus, appareant; ſi fuerint rubrae non ita ſunt periculoſae. Si parotides, & maculae ſemel erumpentes, iterum abſcondantur, & retrocedant, malum eſt, omnia namque ſimptomata citò ingraveſcunt, & mors in propinquo adeſt. De cetero, diſcrimen majus aut minus juxta ſymptomatum vehementiam, & virium imbecillitatem agnoſcendum eſt.

49 Curationem quod ſpectat, dubitant Auctores de venae ſectione facienda; alii nullatenus ſanguinem mittendum eſſe volunt, alii totam ſalutis ſpem in ſanguinis miſsione collocant; alii ad diaphoretica, alii ad alexipharmaca, ſeu antimaligna confugiunt; nos tamen pro varietate cauſae, morbi, & aegri, diverſa dicimus poſtulari remedia; nam ſi conjuncta ſit febris cum coagulatione, ex uſu ſunt omnia diſſolventia cum antimalignis mixta, v. g. antimonium diaphoreticum, bezoardicum animale, corallum, Unicornu, ſpirit. c. c. fuliginis, ſalis ammoniaci, urinae, ſal volatile viperarum, & cornu cervi, camphora & ex ea parata remedia, inter quae praecipua eſt tinctura Tachenii, aqua ſimiliter theriacalis Crolii, ſeu ſimplex prout deſcribitur à Palacios in ſua Pharmacopoea, item pulvis radicis contrayervae, ſerpentariae virginianae, electuarium diaſcordi Fracaſtorii, & theriaca.

R. *Conſ. alcherm. incompl. & pulv. contrayervae anà* ℈. i. *ſpirit. c. c. ſuccinat.* ℈. *ſ. ſirup. papaver. rubr. & aquae card. bened. anà* ℥. ij. *me.* Vel

R. *Conſ. alcherm. incompl. & aquae theriacal. Crol. anà* ℈. *ſ. antimon. diaphoret* ℈. i. *ſirup. viper. & aquae bugloſſ. anà* ℥. ij. *me.*

R. *Conſ. hiacinthor. ſin. aromatib. & antimon. diaph. anà* ℈. i. *camphorae gr.* ij. *ſpirit. c. c. gs.* vi. *ſirup. & aquae vip. anà* ℥. ij. *me.*

R.

R. *Elect. diascord. Fracastor. & theriacae magn. ana q. s. fiat bolus, bis in die sumendus.*

50 Hic bolus praecipue confert his febribus, dum diarrhaea simptomatica stipantur. Verum obiter notandum, non esse utendum camphoratis, aliisque calidioribus medicamentis, nisi in casu *maximae* coagulationis, praesertim si aeger viscerum intemperie calida affectus sit, tunc enim, satis est potione primò descripta, & saepius repetita, morbi curationem moliri.

51 Si febris conjungatur cum dissolutione, tunc conveniunt acida temperata, & ea medicamenta, quae pro febribus ardentibus adducta sunt: Ita tamen ut aliqua levia medicamina spirituosa misceantur, quoniam in his febribus etsi unquam nimis calefacere conveniat, refrigerantia languorem immodicum inducunt. De purgatione in principio idem dicendum, quod de febre ardenti. Circa venae sectionem judico, eam bis repetitam (nisi aegri aetas, aut temperamentum aliud postulaverint) utilem valdè fore in utraque specie febris malignae, si exerceatur potissimum statim sub initiis, dum vires adhuc satis constant. Verum si parotides, aut maculae appareant, tunc à venae sectione est abstinendum, ne Natura impotens reddita ferendo morbo sit impar, nisi specialis epidemica constitutio contrarium suadeat. Denique advertere oportet, non nimis fidendum in curatione malignae febris medicamentis alexipharmacis, praesertim calidioribus, nam praeterquamquod eorum decantata virtus incerta est, id peculiare habent, ut dum partibus suis spirituosis naturam roborare creduntur, simul causam morbi ex se acrem, & urentem magis agitent, & dissolvant, unde gravissima mala producunt. Quare etsi ea praescribenda sint, caute nec immodice id faciendum suademus. Observavi tamen Gelatinam cornu Cervi cum succo limonum paratam, & repetitis dosibus praescriptam, plus valere, quam caetera quaecumque alexipharmaca, quamtumvis auro pretiosiora.

CAPUT VIII.

De Febre ſemitertiana.

52 HEmitraeteos Graecis, Latinis ſemitertiana, eſt febris frequentiſima & periculoſa, autumni praeſertim tempore, ſenes, ſcorbuticos, hypocondria calida & debilia habentes, itemque craſsis, crudis multiſque ſeſe replentes cibis, invadens. Continua cum ſit, ſingulis diebus paroxiſmos habet, ita tamen ut tertioquoque die fortiores & ſibi reſpondentes eſſe ſoleant, atque ſub paroxiſmorum initiis horror, aut extremorum refrigeratio adveniunt, quinimo interdum per totam acceſsionem ſeſe ex intervallis prodere conſuevere. Calor in remiſsionibus moderatus, ſubinde vehemens. Pulſus etſi videantur magni, ad inanitatem potius quam veram magnitudinem vergunt cum inaequalitate. Lingua incipiente morbo craſſa & albeſcens, deinde ſicca, nigra cum pauca ſiti. Urina craſſa rubeſcens, plurimo ſedimento repleta. Totum corpus grave & ferme immobile jacet. Creſcente malo accedit delirium cum comate, difficilis reſpiratio, virium impotentia, faciei inflatio, languor ſummus, mors, quae intra quatuordecim, aut viginti dies contingit. Quod ſi in ſummo febris augmento remiſsiones extra paroxiſmos longae ſint, ut demum in febrem intermittentem tranſeat, ſalus expectanda eſt.

53 Curatio hujus febris paucis remediis peragenda. Venae ſectio ſub initiis his aegris auxilio eſſe ſolet. Purgatio noxia eſt, non tamen emeticum, quod ſcitè praeſcriptum mirificè juvat. Advertere hic expedit, ſemitertianas interdum ex phlegmone, abceſsibus, ulceribus viſcerum naſci, ut ſaepe videamus incipientem phthiſim hac febre comitari. Sed in praeſenti de his non agimus, quippe curationem poſtulant morbi principalis; ſed de ſemitertianis ſimplicibus, iis ſcilicet quae ex cauſis occaſionalibus antea propoſitis, abſque vitio viſcerum organico, oriuntur. Oleum amyg-

amygdalarum dulcium ſine igne extractum ad alvum molliendam in hoc malo confert: conferunt etiam leves potiones ex temperantibus & roborantibus, ut diximus in febre maligna. Si uſpiam alias hic expectatio Medici commoda eſt, quippe, multis medicamentis aegrum opprimere, morbum exaſperat. Quod ſi in febrem intermittentem permutari videatur, decoctum amarum cum cortice peruviano rem feliciter abſolvit.

CAPUT IX.

De Variolis.

54 INter morbos peſtilentes meritò adnumerantur variolae, in his temporibus adeò frequentes, ut nullum hominum genus intactum ferè relinquant. Infantes potiſſimum invadere ſolent, ac non rarò adultos, licèt ipſe viderim, & agnoverim, qui eas unquam ſint paſſi, ac extremo ſenio confecti, abſque illis migraverunt ex vita. Sunt variolae exanthemata ſpecialis naturae ſummam cutem occupantia, eamque certo & ineffabili inflammationum parvularum numero corrumpentia. Variolae, vel ſunt *confluentes*, vel *diſcretae*; primae ſunt, cum puſtulae exiguae, plurimae tamen, & quaſi planae, parum inſtertitii ab una ad aliam relinquentes, apparent in facie, licèt in trunco, & artubus aliter ſe habeant; *diſcretae* verò ſunt illae, quarum puſtulae mediocrem magnitudinem habentes, nimis numeroſae non ſunt, & aliquid ſpatii adinvicem relinquunt in facie, licèt in reliquo corpore diverſo modo procedant. Ad variolas igitur dignoſcendas, confert conſtitutionem epidemicam agnoſcere, nam ſi ea epidemice graſſante, pueri corripiantur febre intenſa cum ſiti, nauſea, oculorum rubore, dolore dorſi, inquietudine, aliiſque id genus ſimptomatibus, ſuſpicio eſt imminentium variolarum, nam etſi in puerorum lumbricis febris adſit ſimptomata nihilominus diverſo modo procedunt, nam in variolis febris adeſt intenſa ab horrore levi incipiens, durat toto tempore ebul-

ebullitionis, tribus ſcilicèt, aut quatuor diebus, adeòque ſibi ſimilis exiſtit ab initio, ut incrementa non habere videatur, ſed ſemper ſub eodem ſtatu permanere; ſecus autem in febre verminoſa, quae quamtumvis efficax, ter, & amplius in die repetere ſolet, & pueri aliquando ſibi benè videntur valere, ac ſtatim iterum febris cum ſimptomatibus invadit. Comitantur ergò febrem variolarum rubor in facie, ardor ſatis vehemens, ſitis ingens, dolor capitis cum gravitate, pulſus celer, vehemens, urina non diſsimilis ab urina ſanorum, tuſsis ſicca, oculorum rubor, & lachrymae involuntariae, raucedo, difficilis reſpiratio, ſomnus profundus, in quibuſdam motus epileptici, qui proximè jam erumpentium variolarum ſunt certum indicium. Haec omnia ſi variolae adultos corripiant, facilè ex eorum relatione innoteſcunt, verum ſi lactentes puerulos invadant, non niſi ſumma Medici ſolertia, & labore deprehenduntur. Igitur praefata ſimptomata in eo ſtatu ſe habent ad diem tertium, vel quartum, quo in ſuperficie corporis apparere incipiunt puſtulae numeroſae, rubentes primum, parvae, faſtigiatae, deinde uſque ad diem ſeptimum increſcentes, eoque peracto albeſcentes uſque adeo, ut verum pus in ipſis efformetur. Inde fit, ut poſt eum diem paulo plus minuſve febris nova accendatur ſuppuratoria, uſque ad undecimum vehemens, periculoſa, & diſcrimine plena, & ultimum terminum extendens ad decimumquartum, quibus omnibus palam fit, variolas morbum eſſe inflammatorium, & ab inflammatoria, & acri ſanguinis diatheſi pendere, ſiquidem convulſiones, deliria, dolores, ſitis, & alia hujuſmodi, à materia acri procedere non dubitamus. Oportet tamen hic animadvertere, ſanguinem, caeteroſque noſtri corporis humores diverſis modis inflammari, adeò ut licèt in qualibet inflammatione habeant dotes inflammationum proprias, ut ſunt calor, acrimonia, febris, & alia hujuſmodi, tamen ſpeciales adſunt caracteres in ipſarum qualibet, in alia quamtumvis ſimili non reperiendi. Sic ſanguis modo ſpeciali inflammatur in phlegmone, alio in eriſipelate, diverſo in herpete, diverſiſsimo ab iis omnibus in febre puncticulari, & ita

de

de aliis morbis inflammatoriis. Debet igitur Medicus nedum generales inflammationis notas, ſed ſpeciales cujuslibet in particulari caracteres ad perfectam curationem agnoſcere, nam dantur remedia omni inflammationi congrua, qualia ſunt venae ſectio, nitrum, aqua frigida, ſerum lactis, & alia hujuſmodi; dantur etiam cuique inflammationi propria, ut in eriſipelate aqua florum ſambuci, meliloti; in herpete, & impetigine decoctum fumariae, agrimoniae, & pimpinelae, flores ſulphuris, & ſic de reliquis. Variolae ergò ſunt vera inflammatio cutis, ſeu varius cumulus multarum inflammationum in cute, ſed haec inflammatio ſpecialis eſt naturae, & proprios habet caracteres, nullibi praeterquam in ipſis inveniendos. Diſputant aliqui, an variolae à ſanguine materno oriantur: alii, an veteribus Graecis fuerint cognitae? Sed Tyrones in his inquiſitionibus parum immorari debent, cum ſint vanae & inutiles ad medendum, neque ſine magna temporis jactura comprehendi poſsint. Id certum eſt, plethoram non ſolam, ſed certa & ineffabili diatheſi comitatam communem eſſe hujus morbi cauſam occaſionalem, & aerem infectum cauſam efficientem. Vitiatur aer interdum ab ipſis aegris, unde malum ex uno in alium per contagium migrat, quandoque à coeli conſtitutione quae potiſsima eſt cauſa variolarum tum benignarum cum malignarum, id enim huic malo peculiare, ut certis conſtitutionibus temporum boni moris, aliis peſsimae conditionis & indomabilis eſſe ſoleat.

55 Variolae ut plurimum morbus ſunt adeò periculoſus, ut infantes quam plurimos truculenta morte ſaepiſsimè interficiant. Si febris tertio, vel quarto die ab invaſione, puſtulis jam erumpentibus, deſinat, bonum eſt, ſignificat namque totam materiam variolarum, febrem, & ſimptomata praefata producentem, integrè à natura deſpumari, & ad corporis habitum expelli; ſi autem poſt eruptionem variolarum febris adhuc perſiſtat, aut intendatur, malum eſt, quia indicat materiam febrilem, & varioloſam perfectè non depurari, ſed in ſanguine adhuc permanere, majores tragoedias ulterius excitaturam. Variolae confluentes ſemper peri-

cu-

culoſiſsimae , quippè graviſsima ſimptomata ſecum admixta habent , imò ſi puſtulae , poſtquam apparuerint , planae admodum ſint , atque non modo in dies non intumeſcant, ſed decliviores fiant , ſignum lethale eſt. Si poſt variolarum eruptionem , febre adhuc permanente , maculae purpureae inter poſtulas appareant , mortem praenuntiant , ſi autem poſtulae eminentiam habeant nigram in medio , mortem praeforibus eſſe demonſtrant. Si variolae poſtquam ſemel eruperunt , iterum abſcondantur , difficili accedente reſpiratione , intra 24. horas aegri moriuntur. Si puſtulae perfectè non ſuppurentur , imò colorem lividum ſecum habeant adjunctum , prius gangrena , dein mors in propinquo eſt. Mictio cruenta , aut alvi fluxus ſanguineus , mortem certiſsimè advenire praenuntiat. Deliriſum , alvi fluxus , aliaque hujuſmodi ſimptomata poſt eruptionem mala , difficultas ſpirandi , his aliis ſimptomatibus ſuperveniens mortem cito venturam praenuntiat , praeſertim cum raucedo & gutturis inflammatio comitantur. Bonae ergò , & ſalutares ſunt variolae, in quibus , poſtquam eruperint , febris , & alia ſimptomata, aut deficiunt , aut multum remittunt. Bonae praeterea ſunt, quae poſtquam ſemel eruperint , integrè ſuppurantur , & ſquamulas furfuraceas in fine poſt ſe relinquunt. Ac tandem morbus eſt adeò incerti praeſagii , ut non ſemel peritiſsimis , & expertiſsimis Medicis illudat , accidit enim ipſis, quod febri peſtilenti , multi enim moriuntur cum bonis ſignis , dum alii jam ferè deſperati , cum pravis ſignis liberantur , undè moneo Tyrones , ut cauti in praeſagiendo procedant , ac in hoc morbo , uti de aliis diximus , praeſens habeant celebre illud Hippoc. dictum : *Acutorum morborum non ſunt omninò certae praenuntiationes ſalutis , aut mortis.* (a)

56 In curatione prius advertendum eſt , duo tempora in variolis eſſe conſideranda , tempus nimirum ebullitionis ut vocant , quod durat à primo morbi inſultu , ad diem tertium , vel quartum quo puſtulae apparere incipiunt : & tempus

(a) Hipp. *lib.* 2. *Aphor. ſent.* 19.

pus deſpumationis ſeu expulſionis, ab eruptione ſcilicèt puſtularum uſque ad integram ſuppurationem, & maturitatem, quae circa diem 14. integrè ſolet abſolvi. Si igitur Medicus vocatus fuerit ſtatim ab initio, tempore ſcilicèt ebullitionis antequam puſtulae erumpant, praecipiat ſubitò, ut ne torreantur infantes appoſitis ignibus in cubiculo, uti Hiſpanis in uſu eſt, ſic enim non adjuvant eruptionem, ut ipſi volunt, ſed aegrum, pluſquam par eſt, calefaciendo, magis, & magis perturbant, & miſeris infantibus febrem, ſitim, linguam aſperam, & ſiccam, ac interdum mortem accerſunt.

57 Jubeant ergò, ut moderati regiminis ope tractentur, nec ſcilicèt eos ignibus torquendo, nec frigore etiam externo nimis moleſtando, ſed mediocriter in hiſce omnibus procedendo. His factis, ſtatim imperanda eſt venae ſectio, quae repeti poteſt, prout febris, plenitudo, aliave ſimptomata poſtulaverint. Hoc monitum ita intelligendum, ut non omnes indiſcriminatim venae ſectione tractentur, ſed id remedium fiat cautelis ſuperius poſitis cum de eo exprofeſſo egimus. Nec cogitent Medici de purgatione in variolis pro ſordibus primae regionis expurgandis, ut nebulones imprudenter faciunt, quippè naturam deſpumationem mollientem à ſuo opere recedere faciunt; quod ſi, uti pueris familiare eſt, ſtomachus pravis ingeſtis abundet, omni opera curandum eſt, ut clyſteribus refrigerantibus, & emollientibus ſarcina illa educatur, ut ſic natura opus perfectius aſſequi queat. Si igitur puſtulis jam erumpentibus, Medicus accedat, ac poſt earum eruptionem deſinat febris & ſimptomata remittant, expulſione benè procedente, tunc ſanguis mittendus non eſt, ac nihil agendum, ſed naturae opus commitetur, atque ſufficiet tunc levibus diaphoreticis expulſionem in totum perficere; ſi autem erumpentibus puſtulis, febris ſit intenſior, ſimptomata graviora, ſanguis, non obſtante expulſione, moderate detrahendus, quia ſic natura ab onere levata facilius expellit, quod prius fortaſſe expellere non potuit, quia nimis oppreſſa. At ſi diarrhaea interim accidat, eaque fuerit bilioſa, certius ſanguis detrahendus, ſan-

guine namque educto ceſſare ſolet diarrhaea, quae raro in variolis non eſt periculoſa. Ante variolarum eruptionem bibant pueruli, aut adulti aquam cum hordeo, raſura eboris, & floribus papaveris rhaeos alteratam, eaque ipſis concedatur ad ſatietatem; interim omnia acida, & temperantia conveniunt, ut ſuccus granatorum, citri, ſirupus acetoſitatis citri, acetoſae, granatorum, violarum, ſal prunellae, & alia hujuſmodi.

R. *Conf. hiacinthor. ſin. aromatib. & ſal. prunel. anà* ℈. i. *pulv. criſtal. pp.* ℈. *ſ. ſirup. granator.* ℥. i. *aquae portulac.* ℥. ij. *me.*

R. *Confect. hiacinthor. incompl. & ſpirit. nitr. dulcif. anà* ℈. *ſ. pulv. c.c. pp.* ℈. i. *ſucci citri* ℥. i. *ſacchar. albiſ. & aquae portulac. anà q. ſ. me. detur cochleatim.*

Si diarrhaea urgeat,

R. *Conf. hiacinth. incompl. & pulv. coral. pp. anà* ℈. i. *ſirup. acetoſitat. citr. & aquae arnagloſ. anà* ℥. i. *me.*

Variolis jam erumpentibus, ſi febris cum ſimptomatibus adhuc urgeant,

R. *Conf. hiacinth. incompl. & bezoard. animal. anà* ℈. *ſ. ſirup. endiv. ſimpl. & aquae portulac. anà* ℥. i. *me.*

R. *Conf. hiacinth. incompl. & pulv. c. c. pp. anà* ℈. i. *lapid. bezoard. gr.* iv. *ſirup. violar. & aquae hord. anà* ℥. i. *me.*

R. *Conf. alcherm. ſin. arom. & antimon. diaphoret. anà* ℈. *ſ. ſirup. endiv. & aquae hord. anà* ℥. ij. *me.*

58 Sic ergò procedendum, donec variolae matureſcant, & febris remittat; cavendo, ne fortibus diaphoreticis ſanguis nimis excandeſcat, ſic enim expulſio non perficitur, ſed

ſed impeditur, imò refrigerantibus, & diluentibus leviora tantum diaphoretica immiſcenda ſunt, in quo caſu ptiſana ſupra deſcripta pro toto morbi decurſu confert. Si puſtulis jam erumpentibus, febris aut deſinat, aut remittat, ac interim ſuppuratio & maturatio aequè percurrant, Medicus ſpectatoris munus agat, totum opus Naturae relinquens; quod ſi ſuppuratio & maturatio aliquo auxilio indigeant, nihil aliud praeter gran. i. aut ij. lapid. bezoard. in ſingulis juſculis eſt offerendum.

59 Multa multi jactant, & undique venditant pro variolis ſanandis arcana, verum minimè credam unquam impoſtoribus, & medicaſtris, imò inter celebres Auctores aliqua laudantur, quae verè incertiſsima ſunt; ſic Dolaeus ſuo *liquore antivarioloſo* omnibus ſalutem offert, quam neſcio certe, an revera ipſe praeſtaret, quia *quiſque ſuum laudat.* Multi etiam tegumentis rubris aegrum operiri imperant, & agnum in cubiculo detineri, humores enim avocare ad cutem hujuſmodi apparatus credunt, ipſe autem neſcio, quid veritatis id ferat, etenim Magnates, & Principes, qui damaſcenis ſericis, & pretioſis purpuris volvuntur, hocce morbo immaniter pereunt. Si oculi difficilè aperiri queant, aqua malvarum abluendi. Guttur, & fauces decocto hordei, aut ſirupo moror. & granator. cochleat. ſumpto defendi poſſunt. In cordis regione prodeſt inunctio ex oleo Mathioli, & theriaca. Arabes Medici, & cum ipſis Sennertus, euſque tranſcriptor Riverius, decoctum *lentium*, tamquam ſpecificum in variolis habent, at rectè Junquerus, expertus & ſagax Naturae ſcrutator, de hujuſmodi virtute dubitat, neque ſcimus per experimenta benè inſtituta, an quidquam boni in variolis lentes praeſtiterint. Denique, repetere licet, in variolis omnibus circa ſeptimum morbi diem, febrim, vel augeri, vel de novo accendi, idque contingit, quoniam earum ſuppuratio eo tempore, vel incipit, vel augetur. Inter Neotericos aliqui vocant hanc, *ſecundam variolarum febrem*, ut ipſam diſtinguant ab illa febre, quae incipientibus ipſis durat uſque ad exactam expulſionem, modò quo dictum eſt. Haec ſecunda febris durat uſque ad finem

variolarum, & gravis eſt, atque totius morbi periculum in ejus curſu praecipuè ſpectatur. Joannes Freindius, Medicus Anglus celeberrimus, intendit varioloſos purgare hac ſecunda febre detentos, atque prolixè de ea re diſputat in Epiſtola ad Ricardum Meadium, quae, inter ejus opera Pariſiis excuſa, extat. Attamen doctrina de purgatione in ſecunda variolarum febre, ſeu in earum ſuppuratione, incerta & periculoſa eſt, neque unquam Tyronibus commendanda, quia nova, & rectae praxeos obſervationibus minimè fundata. Fatemur, variolas morbum eſſe atrociſsimum; fatemur etiam nullum hucuſque inventum eſſe remedium ſpecificum pro his debellandis. Sed certò ſcimus numquam licere praeſcribere medicamenta, quae magis ad nocendum, quam ad juvandos aegros, ſint opportuna. Atque abundè conſtat purgationem in maturatione variolarum naturam turbare, ſuppurationem, quae ejus opus eſt, interrumpere, aegroſque, in magnam perniciem adducendo, trucidare.

CAPUT X.

De Febre hectica.

60 POst febres putridas ſimplices neque ex phlegmone natas hectica febris explicanda eſt. Hectica febris eſt quae, lento quodam calore ſed acri & ſine gravibus ſimptomatibus totum corporis habitum praecipuè marceſcere facit. Haec febris ſequitur alios morbos, ut febres meſſentericas, inflammationes internas, atrophiam, phthiſim, hypocondriacam, ſcorbuticam, aut hiſtericam affectionem, ſolent enim febres, quae hoſce morbos comitantur, lentè procedere, & corpus contabeſcere faciunt. Hinc origo prima febris hecticae ſemper eſt aliquis morbus altè in viſceribus infixus; dum enim in febribus ardentibus, malignis, & inflammatoriis craſſa materia, cruda, & acris in viſceribus detenta, neque per evacuationem, neque per abceſſum expellitur, in dies magis figitur, & majori cohaeren-

rentia, atqué acrimonia ſenſim praedita, naturam ad febriles motus perpetuo inducit. Sic poſt febres meſſentericas, & hypocondriacas affectiones, hecticae febres fiunt, quatenus humores in viſceribus impacti, acres redduntur, indeque labes toti corpori communicatur. Plures ſunt, qui ex ſua natura, ſive id ab ortu jam habeant, ſive poſtmodum adveniat, naturam maximè diſpoſitam habent, ut levi quavis de cauſa in febres hecticas incidant. Propterea dum ſimiles aegrotantes in febrem ardentem, malignam, aut inflammatoriam incidunt, Medici intereſt, ſerio criſim earum animadvertere, nam ſi haec fuerit perfecta, & ſalutaris, totum negotium naturae relinquendum; ſi vero fuerit imperfecta, & videat febriculam ultra terminum acutorum morborum procedere, ſtatim nullaque ſpectata mora lac aſininum praeſcribat, & naturam quantum fieri poſsit adjuvet, ut abceſſum ad crura efficiat, juxta auream magni Hippocrates ſententiam: *In longa febre, ex qua tamen aeger liberari poteſt, ſi neque ob inflammationem, neque ob aliam manifeſtam cauſam, dolor infeſtat; aut tumorem, aut doloroſum in articulis abceſſum expectare oportet, praecipuè in imis partibus.* (a)

61 Tres gradus febris hecticae communiter diſtinguuntur, ac licèt in ſecundo, & tertio gradu facile agnoſcatur, non ita in primo. Verum febris hectica, jam ſub initiis, id proprium habet, ut calor ad tactum levis ſit, aegri bene ſibi videntur valere, quaſi non febricitarent, febris continua eſt cum inaequalitate, & celeritate in pulſu, corpus ſenſim marceſcit, ac nullum grave ſimptoma apparet. His accedit aliud ſignum, nempe auctio caloris à cibo, nam tales aegri duabus, aut tribus horis, ab aſſumpto cibo, incaleſcunt plus ſolito. Galenus, ejuſque Aſſeclae hoc vocant proprium, & inſeparabile ſignum febrium hecticarum, quòd in ipſis credat ſemper & neceſſario adeſſe, atque nullibi, praeterquam in hecticis, reperiri. At certe fallitur, quia in hypocondriacis, ſcorbuticis, hiſtericis, aliiſque aegrotantibus, calida viſcerum intemperie laborantibus, poſt cibum, dum

(a) Hipp. *Prognoſt. ſect.* 3. *ſent.* 23.

dum peragitur coctio, certò, & ſenſibiliter augetur calor, nedum tempore ſanitatis, ſed etiam ſi febre qualibet praeſertim meſſenterica laborent, quin propterea hectici ſint; è converſo in empiematicis, & phthiſicis, calor non ſemper à cibo creſcit, ſed noctu perpetuo ingraveſcit, ut experientia conſtat, & magni Hippocratis oraculo confirmatur: *Qui ex pulmone, inquit, empijici fiunt, febres habent interdiu leves, de noctu fortiores, &c.* (a) Igitur augmentum caloris à cibo, in febribus exiguis, communiter & ut plurimum, ſignificat, aut febrem eſſe hecticam, aut in ipſam facilè tranſire poſſe. Quod ſi aliquando id deficiat, & caetera ſigna ſufficienter arguant, febrem eſſe hecticam, pro tali tunc habenda eſt; immo etſi incaleſcat à cibo aeger, & febricitet, non ideo putandum ejus febrem hecticam eſſe. Oportet ergò, ut Tyrones omnia ſigna hujus febris attentè inſpiciant, videlicet ejus lentorem, aequalitatem, corporis extenuationem, & morbum fixum à quo haec omnia procedant, quibus ſi jungatur auctio caloris à cibo, febris erit hectica, immo cum talibus ſignis, licèt à cibo non incaleſcat aeger, ſed potius noctu, febre hectica laborare, cenſendum. In ſecundo autem, & tertio gradu, jam corpus adeò extenuatur, ut cutis vix oſsibus haereat, facies ſquallida eſt, & triſtis, oculi concavi, naſus acutus, tempora collapſa, aures ſubverſae, & frigidae, quae facies Hippocratica dicitur, eò quod ab Hipp. pingatur, lib. 1. Prognoſt. In eo ſtatu miſeri aegri ſunt gelidae mortis imago. Accedit diarrhaea indomabilis, colliquans, ſudores nocturni, capillorum defluvium, mors.

62 Praeſagium hujus febris infelix eſt, nam praeterquamquod eſt longiſsima, omnia remedia quantumvis efficaciſsima ſpernit, & aegros ſaepiſsimè jugulat. Si ſit in primo gradu, adhuc admittit curationem; in ſecundo, aut in tertio, nullo modo curari poteſt. Sed hi gradus ex contabeſcentia metiuntur. Alvi fluxus eidem ſuperveniens ſolet eſſe colliquativus, & mortem citò venturam praenuntiat. In juve-

(a) Hipp. *Coac. praenot. lib. 2.*

venibus difficulter, in ſenibus nullo modo curatur. Si accedente alvi profluvio, crura intumeſcant, mors oſtia pulſat.

63 In curatione videndum eſt, quos morbos ſequatur, nam tunc habita ratione morborum, eis, & febri ſimul eſt ſuccurrendum. Sic, ſi proveniat ab ſtomacho pravè digerente, ut commune eſt, curandum eſt, ut ſtomacho reſpiciatur, & febri. Generice tamen, omni febri hecticae conveniunt reſtaurantia, humectantia, diluentia, & acres humores temperantia. Inter reſtaurantia locum habent juſcula viperarum, ut

R. *Fruſtul. carnis vervecin. & pullu gallinac. fol. borrag. endiv. lactuc. anà manip.* i. *coque ut fiat juſculum, cui ſub finem adde carnis viperarum fruſtul.* i. *leviter bulliat.*

64 Sumatur hoc juſculum per plures dies matutino tempore. Si febris hectica ſit in hipocondriacis, &c. miſceri poſſunt praedicto juri pulvis ocul. cancr. c. c. alia dictis morbis appropriata. In uſu etiam eſt, ad reſtaurandum, & humectandum, juſculum facere ex ranis, oſtreis, aut teſtudinibus; item gelatina c. c. quae ſic deſcribitur à D. Fuller.

R. *Ped. ovium numer.* iiij. *ped. vitul. num.* ij. *raſur. c. c. ebor. anà* ʒ. i. *ichthycol.* ʒ. *ſ. gum. arabic. tragacanth. anà* ʒ. ij. *aquae hord. depurat.* ℔. xij. *coq. ad* ℔. iiij. *colaturae adde ſacchar.* ʒ. iiij. *me. Uſurpanda eſt recens, aliter enim citò putreſcit.* Sed gelatina communis cornu cervi ſaepe praeſtantior eſt.

Inter reſtaurantia praeſcribi ſolet aqua, quae vulgo dicitur *Palata*, ſic deſcribitur:

R. *Teſtud. eviſcerat. num.* i. *pull. gallinar. eviſceratur. num.* ii. *ranar. eodem modo paratar. num.* xij. *panis albiſſimi recent.* ℔. i. *folior. borrag. & lactuc. anà* ʒ. iv. *pa-*

panis ſcindat. in taleolas , & humectetur cum aqua roſar. animalia eviſcerata piſtentur , & ex omnibus fiat ſtratum ſuper ſtratum in alembico vitreo , hinc deſtillent. ſecundum artem.

Inter humectantia , & diluentia , & temperantia , locum habent emulſiones.

R. *Amygd. dulc. praeparat. par.* iiij. *ſemin. quatuor frigidor. major. anà* ʒ.i. *ſemin. lactuc. & papaver. alb. anà* ʒ. *ſ. cum aqua hord. extrahatur emulſio , cui adde ſirup. violar.* ʒ. i. *me. & per plures dies repetatur matutino tempore.*

65 Item , conveniunt balnea aquae dulcis , quae uſurpari poſſunt , aegro ſatis robuſto exiſtente , alternis diebus , ita ut in nimios ſudores non cogatur ; nec nimis calida ſit aqua, ſed temperata. Hora ingrediendi balneum eſt 9. matutina aſſumpto juſculo , aut 5. veſpertina , peracta ciborum digeſtione. Poſt balneum , imò & in ipſo balneo , dummodò aegri vires id poſtulent , iterum nutriendus juſculo , modo jam dicto. Si his medicamentis febris non obediat , tunc lac caprillum , aut aſininum eſt praeſcribendum , equidem iſtud nutrit , diluit , temperat & contabeſcentiam impedit. Praeſcribi incipit matutino tempore , jejuno ſtomacho , & ſub primis diebus propinatur ad uncias octo , magis , vel minus , pro majori , vel minori ventriculi robore , poſtmodum natura jam lacti magis aſſueta , doſis augenda eſt , ita ut mane , & veſperi praeſcribi poſsit : ac ſi opus ſit , & aeger ferre poſsit , diaeta lactea eſt reficiendus. Si lacte aſſumpto , aceſcat in ventriculo , aut corrumpatur , vel rugitus , & flatus praetermodum commoveat , tunc ab eo abſtinendum, & aliis remediis curatio eſt aggredienda. Denique ſedulò notandum eſt , non rarò accidere , ut in conjungatis , propter immodicum excercitium coitus , febres cum atrophia adveniant , eaſque ſub tabis dorſalis nomine explicat Hipp. in quibus medicamenta refrigerantia , & diluentia non con-

fe-

ferunt; prosunt imò restaurantia, nutrientia, & illa, quae naturam invalidam reficere valent, ut jusculà viperarum, gelatina c. c. modo superius adducto, &c.

CAPUT XI.

De Febre diaria.

66 SUnt febres continuae satis vehementes, at securissimae, quae cum uno, duobus, aut tribus ad summum diebus absolvantur, *diariae* à Medicis vocari solent. Licèt igitur plures sint febres diariae, à variis causis ortae, ut ab ira, insolatione, vigilia, animi moerore, &c. & ita dicantur, quia ultra unius diei terminum ut plurimum non progrediuntur, tamen cum omnes eodem uno modo curentur, trademus dignotionem & curationem febris ortae à constipatione, qua cognita, reliquae facile innotescent.

67 Dum ergò incautè aliquis aurae frigidae repente exponitur, poris interim quavis de causa immodicè apertis & liberè procedente transpiratione, febris oritur interdum catharralis, ex diariae genere, vulgo *à constipatione*. Incipit per rigorem, quem adeò in aliquibus vehemens subsequitur calor, ut in ardore saepius magnas febres videatur aemulari. Facies rubet, caput gravitate primum, deinde dolore quasi lancinante affligitur, dolores simul vagi hinc indè molestant. Lingua, urina, & pulsus ferè sunt secundum naturam. Febris absque accessionibus per integrum diem, & amplius aliquando procedit, donec levi quodam madore finiatur. Praecipuum signum ad has agnoscendas febres ex ipsa aegrotantis relatione desumitur, equidem ipse suspicionem de constipatione propter susceptum frigus habere refert. Galenus de Febribus diariis dignoscendis longè, feliciterque tractavit variis in locis, sed praesertim in initio operis de Methodo Medendi ad Glauconem, & certè quam maximè oportet febres diarias cito cognoscere, ne sub ea-

rum larva putridae, aut malignae occultentur. Obſervare oportet aegri calorem, qui in febribus diariis, etſi vehemens, blandus eſt, & halituoſus, in putridis vero ſiccus, & acris. Praeterea, attentè inſpicere oportet pulſum aegrotantis, qui celer eſſe ſolet in febre diaria, cum pauca, aut nulla inaequalitate, ſecus ac accidit in febribus putridis. Sunt etiam urinae naturales, neque ullum ſimptoma vehemens aegrum moleſtat. Accidit aliquando, ut febris diaria ortum ſuum trahat à repletione ventriculi, in quo caſu, tum vomitus adſunt, tum crudorum ciborum egeſtiones, verum ex aegrotantis relatione, & ex ſignis hucuſque propoſitis id Medicus haud difficulter cognoſcet. Cauſae occaſionales plethora, obſtructio, diathaeſis hic maxime locum habent, ea tamen lege, ut non nimis moleſtae ſint. Febres diarias ex cruditatibus & obſtructionibus ventriculi quotidie videre licet. Ex diatheſi ortas obſervamus in quibuſdam ad has febres nullo negotio paratiſsimis. Ex plethora interdum fiunt, at non ita frequenter. Externae efficientes cauſae aer, diaeta, animi pathemata adeo evidenter febres diarias producunt, ut quotidie in communi praxi ſeſe offerat occaſio id inſpiciendi, ut maximè conferat aegros de cauſa aegrotandi interrogare, ſic enim unde febris orta ſit, omni prorſus certitudine intelligitur.

68 Curationem harum febrium natura ipſa ſatis abſolvit, equidem levi commoto ſudore, eas perfecte ſolet judicare, hincque mulierculae ſua habent remedia, quapropter Medicos ad has febres ſanandas non vocant. Omnis ergò harum febrium curatio in levi movendo ſudore, & augenda tranſpiratione ſita eſt. Hoc faciet Medicus, ſi id opus eſſe judicet, per levia diaphoretica, ut ſal. card. bened. cum ſirup. papav. rubr. & aqua bugloſſ. Decoctum folior. the, aut florum cordial. calide ſorbillatum omnem curationem abſolvunt, ſed praeſtat curationem naturae relinquere, quam importuna medicatione aegros laceſſere. Interim corpus non adeò ſtragulis cooperiendum, ut in violentos ſudores adigatur, quippè plures ſunt aegri, qui quavis adhibita diligentia minimè ſudant, ſufficit ergò ad integram harum febrium

brium curationem, liberam reddere transpirationem, quod levi solum madore satis perficitur.

FINIS.

MONITA PRACTICA

EX MEDICINA VETERI, ET NOVA deducta, & in formam Aphorismorum disposita ad Tyrones.

1 IN morbis ventriculi, hypocondriorum, aliorumque viscerum primae regionis, certum indicium dat urina earum aegritudinum, quae ipsa molestant. Tract. de Ur. cap. 1. n. 3.

2 Si urina tenuis appareat in principio febrium acutarum, aut morbum capitis citò venturum, aut aegrum in deterius ire demonstrat. Tr. de Ur. cap. 1. n. 6.

3 Si urina tenuis in hystericis appareat, instantis paroxismi est certum indicium, ibid.

4 In scorbuticis, gallicis, & hypocondriacis talis urina, eos, magis quam par est, molestari demonstrat, ibid.

5 In febribus tertianis, aliisque intermittentibus frequentissimae sunt urinae crassae; fieri ergò solent à salibus diversi generis in corpore hospitantibus, & febrilibus impuritatibus in eo existentibus. Tr. de Ur. cap. 1. n. 8.

6 Urina rubra cum lingua sicca, aspera, & nigra, si febris fuerit aliquo modò ardens, signum est dispositionis inflammatoriae in sanguine. Tr. de Ur. cap. 2. n. 14.

7 Urina rubra cum lingua alba, spurca, ac viscida in febribus tertianis, in scorbuticis, hypocondriacis, à salibus muriaticis procedit, & venae sectionis usum dehortatur, ibid.

8 Urina rubra cum lingua alba, & viscida, si febris fuerit acuta, & aeger in delirium, aut convulsionem proclivis, significat affectionem inflammatoriam, ibid.

9 Urina nigra in hypocondriacis, & ictericis cum duritie dextri, aut sinistri hypocondrii lethalis est ut pluri-

rimum, ſin minus, longum fore morbum ſignificat, ibid. n. 16.

10 Si in urina ſigna coctionis appareant, & haec, ulterius procedente morbo, non augeantur, aegrum, vel moriturum, vel longo tempore laboraturum indicium eſt. Tr. de Ur. cap. 3. n. 19.

11 Si in urina hominis acutè febricitantis appareat in ſuperficie pinguedo, inſtar telae aranearum, aut ſaevi liquati, ſignum eſt magnae colliquationis, & graviſsimi morbi; ſi autem talis pinguedo in hominibus ſanis appareat, aut in hypocondriacis, & ſcorbuticis, tum pravum ſignum non eſt, ibid. n. 20.

12 Si cum urina craſſa veluti jumentorum aliquod ſignum in febre appareat malignum, nedum capitis dolorem, ſed & convulſionem, & mortem ſignificat. Tr. de Ur. cap. 4. n. 21.

13 Cum urina ſtridendo mingitur, duo ſignificat, aut hominem indigere medicamento purganti, aut morbum aliquem adeſſe in veſica, vel partibus ei proximis. Tr. de Ur. cap. 4. n. 21.

14 Non eſt idem ſanguinem mingere, ac urinam ejicere ſanguineam, ibid.

15 Si igitur ſanguis mingatur, idque non ſaepius fiat, ſed rarò, neque tunc febris adſit, neque dolor, ſignificat per renes plenitudinem expurgari, qua evacuatione laſſitudo tollitur; quod ſi ſanguis cum febre, aut dolore excernatur, tunc ſcire oportet, urinam purulentam poſtmodum eſſe mingendam, ibid.

16 Urina mere ſanguinea, ſeu ſanguinis colorem exacte referens, pravam ſanguificationem ſignificat, atque ex male affectis hypocondriis provenire, ibid.

17 Licèt pulſus magnus à virium robore fere ſemper procedat, tamen quandoque fallax eſſe ſolet, ſaepè enim accidit, ut cum pulſu magno aegri citò moriantur, potiſſimum in morbis pectoris, dum magna adeſt ſpirandi difficultas, qua inſtante, cum pulſu magno ſuffocantur aegri. Tr. de Pulſ. cap, 2. n. 4.

18 In magnis, vehementiſsimiſque partium internarum doloribus, pulſus parvi fiunt, quapropter ne terreantur Tyrones in praxi, ſi doloribus incipientibus, pulſus parvi ſtatim fiant, ibid.

19 Fatalis eſt pulſus intermittens in morbis acutis; verum in morbis chronicis apparet aliquando abſque ullo periculo, potiſsimum in pueris, & ſenibus. Tr. de Pulſ. cap. 2. n. 5.

20 Advertere oportet, non eſſe idem fibram tenſam, ac robuſtam, nam ſi ſiccitas vigeat, fibra tensa eſt, & quandoque cum ea tenſione debilis, ibid. n. 6.

21 Qui ob duritiem ventris marceſcunt, in his pulſus tenſus, & vibratus eſt cum magna debilitate, ibid.

22 In quocumque dolore, ſi pulſus ex magnitudine in parvitatem tranſeant, aegri vires maximè debilitantur; quod ſi ab initio doloris jam pulſus parvi fiant, unum ex duobus ſignificat, aut partem ſumme ſenſibilem laborare, quale os ventriculi eſſe ſolet, aut materiam aliquam malignam eſſe cauſam doloris, ibid.

23 In omni inflammatione pulſus eſt durus, & veluti ſerratus, varius tamen quoad magnitudinem, & parvitatem, nam in quibuſdam inflammationibus magnus eſſe ſolet, in aliis autem parvus; celeritatem vero in omnibus habet inflammationibus, ibid.

24 Magna pleuritidis cruditas ex pulſu multum ſerratili deducitur, ſi vero haec pleuritis nimium cruda cum viribus debilibus conjungatur, mortem inducit, ſi autem cum facultate fortiori, aut morbum longum, aut in ſuppurationem vertendum demonſtrat, ibid.

25 Si procedente pleuritide, pulſus in magnam crebritatem, aut frequentiam mutetur, ſignum eſt ſyncopis, aut peripneumoniae venturae; ſi vero morbo crudo exiſtente, neque ſputo procedente ſecundum rationem, pulſus in tarditatem veniant, delirium aut ſoporem venturum indicant, ibid.

26 In omni peripneumonia ſemper aliquid comatoſum adeſt, ſi vero parum comatis adſit, pulſus crebri ſunt, ſi ve-

vero in magnum ſoporem morbus vergat, tunc pulſus tardi fiunt, ibid.

27 Incipiente phrenitide tria haec neceſſario contingunt, vigilia pertinax cum dolore capitis; pulſus parvi, celeres, nervoſi, denſi; & febris acuta cum pauco calore, ſeu, ut loquitur Coelius Aurelianus, febris difficile ad ſuperficiem corporis aſcendens, ibid.

28 Ortophnoea dum vehementiſsima eſt, pulſus reddit tardos, quod velim Tyrones notent, ne in pectoris morbis fallantur, dum bonum pulſum videntes, aegrum moriturum, non ita gravatum, credant, ibid.

29 Stomachi inflammatio pulſum efficit ſimilem pulſui phreniticorum. Languor vero, vomitus, ſingultus, aliaque hujuſmodi oris ventriculi ſimptomata, pulſum parvum, ibid.

30 Tyrones animadvertant, omnium remediorum maximum ad tollendos morbos eſſe ipſam naturam, quae vera eſt, ex Hippocrate, aegritudinum medicatrix. Tr. de Mat. Med. cap. 3. n. 4.

31 Maximum remedium eſt naturam relinquere, ut juxta leges ſibi proprias, morborum curationem aggrediatur, ipſius motus minimè turbare, ejus actiones ſalutiferas, quantum fieri poſsit, promovere, neque eam unquam divertere, ibid.

32 Quoad medicamentorum vires attinet, ſcire oportet, eam Medicinae partem, quae de his tractat, & Pharmaceutica dicitur, eſſe fallaciſsimam, & nugis ac erroribus plenam. Tr. de Mat. Med. cap. 3. n. 5.

33 Scire etiam Tyrones oportet, medicamenta ſimplicia, caeteris paribus, compoſitis ſemper esse praeferenda, quippè natura ſimpliciſsimè ſemper operatur, & inter compoſita ea praeferri debent, quae minus compoſita ſint, ibid.

34 Minima in morbis, quantumvis minima, ſemper in Medicorum contemplatione ſunt maxima, ac ex rebus ita minimis, baſis curationis quandoque deſumitur, ibid. n. 6.

35 Humorum craſsities, lentor, & coagulatio non à fri-

frigiditate, ut vulgus credit, ſed quandoque ab immodico viſcerum, & ſanguinis aeſtu procedunt, nihil enim fluida corporis humani citius coagulat, quam immodicus calor. Tr. de Mat. Med. cap. 4. n. 10.

36 Nullus eſt humor in humano corpore abſolutè frigidus. Tr. de Mat. Med. cap. 4. n. 14.

37 Propterea quo magis craſsi, & denſi fiunt humores, eo majorem indicant calorem, ibid.

38 Scire igitur convenit, dum humores calefiunt, & inflammantur, non uno, eodemque modò id fieri, ſed aliter in eriſipelate, aliter in phlegmone, aliter in herpete, multò aliter in cancro, & ſic de aliis, ibid.

39 Oportet ergò, ut Tyrones generalibus alterantibus non acquieſcant, ſed ipſis ſemper miſceant ſpecialia, ibid.

40 Alterantia ſemper praecedant evacuantia, quippè humores prius concoquere oportet, & deinde à corpore eliminare, ſequentes naturae legem, quae eo modo ſemper operatur in commodum aegrotantium, ibid.

41 Advertere oportet, curationes chronicorum morborum, alterantibus potius, quam purgantibus eſſe abſolvendas, quippè natura tales morbos, magis humorum correctione, quàm excretione curat, ibid.

42 Eſt advertendum ventriculi languores, & cruditates acidas non rarò ab immodico viſcerum aeſtu procedere, ut accidit bilioſis, & hypocondriacis. Tr. de Mat. Med. cap. 7. n. 29.

43 Idque perpetuo tenendum, numquam calidiora ſtomachica convenire, ut ſpiritus, tincturae, olea eſſentialia, aliaque hujuſmodi, quia nimis calefaciendo laedunt, ibid. n. 30.

44 In cruditatibus nidoroſis nihil magis confert, quam aqua ſimplex, cui mixtus ſit liquor ex nitro & marte compoſitus, ibid.

45 In principio doloris nephritici, nec acria purgantia, nec clyſteres acres, nec fortia medicamenta conveniunt, ſed emollientia, laxantia, & fibrarum criſpaturam corrigentia. Tr. de Mat. Med. cap. 9. n. 43.

Uri-

46 Uriñae ardores in ſenibus adeò frequentes, non tam ab immodico eorum calore, quam primae digeſtionis defectu procedunt. Quapropter fugienda ſunt in dicto caſu medicamenta nimis temperantia, & frigida, ac obtundentia, ibid. n. 45.

47 Notare oportet, nulla eſſe medicamenta, quae directè habeant virtutem ad menſes movendos, ibid. n. 39.

48 Animadvertere etiam oportet, nulla eſſe medicamenta, quae propria, & ſpecifica virtute gaudeant ad calculos comminuendos, ibid. 46.

49 Diviſio purgantium in eradicativa, & minorativa, vana eſt,& aegrorum ſaluti pernicioſiſsima. Tr. de Mat. Med. cap. 10. n. 48.

50 Ex conferentia, & tolerantia dignoſcenda eſt utilitas purgantis, minimè ex numero, & quantitate dejectionum, ibid.

51 Advertere oportet, maximum eſſe errorem credere, cacochimiam eſſe objectum purgationis adeò, ut ipſa praeſente, purgans medicamentum exhiberi poſsit, ibid. n. 64.

52 Errant quidam Medici, & maximo aegrorum periculo errant, qui titulo obſtructionum tollendarum, neque humoribus praeparatis, neque coctis, perpetuò purgant, & morbos prorſus incurabiles reddunt, ibid.

53 Si humores pravi ab aliqua internarum partium diatheſi, & intemperie procedant, purgando frequenter, nihil aliud efficiunt Medici, quam laterem lavare, & partes morbo oppreſſas magis offendere, ibid.

54 In magnis, & vehementibus partium internarum doloribus, praeſertim convulſivis, ut colica hyſterica, convulſiva, illiaca paſsione, & aliis, non ſunt exhibenda purgantia, niſi prius emollientia, & laxantia praecedant, ibid.

55 Multiplici experimento conſtat, ſolius quandoque emetici exhibitione, omnibus fruſtra tentatis, fuiſſe integre ſanatas febres intermittentes. Tr. de Mat. Med. cap. 11. n. 70.

56 Pleuritis licèt à vomitu frequenter incipiat, vomitorium non indicat, imò venae ſectiones moderatè praeſcriptas, quod de omnibus inflammationibus intelligendum, ibid.

57 In omnibus morbis à repletione ventriculi, vel depravata digeſtione naſcentibus, praeſtantius non eſt remedium emetico medicamento, ibid. n. 71.

58 In empyematicis, aliiſque pectoris morbis convenire diuretica docuit Hipp. attamen remedia ex vegetabilibus deſumpta plus proſunt, quàm omnia quaecumque inventa ex chimiae furnis deprompta, cap. 12. n. 75.

59 In ulcere renum, & veſicae nullo modo ſunt adhibenda diuretica, ibid. n. 75.

60 In principiis acutorum morborum, in inflammatoria ſcilicèt ſanguinis diatheſi, cane pejus, & angue fugienda ſunt diaphoretica. Tr. de Mat. Med. cap. 13. n. 80.

61 In colica convulſiva, carminantia, & purgantia aegros in mortem ducunt; praeſcribenda potius tunc ſunt laxantia, emollientia, & anodina, quae dicto morbo ſpeciſicè occurrunt. Tr. de Mat. Med. cap. 14. n. 86.

62 Dum Medici tenſiones hypocondriorum, & ventris, in febribus, aliiſque morbis inſpiciunt, non ſtatim confugiant ad carminativa, id à flatibus provenire judicantes, quippè aliquando fit à materia acri, fibras pungente, ibid.

63 Suppoſitoria, & clyſteres non ſunt applicanda his, qui haemorroidibus, ſiccis praeſertim, laborant, nec his, qui hernia afficiuntur; minus praegnantibus, & puerperis, ibid. n. 93.

64 Si materia multa impacta ſit in pulmonibus, eaque levem difficultatem ſpirandi producat, tunc medicamenta appropriata ſuperius adducta prius ſunt offerenda ad materiam in pectore exiſtentem educendam, & poſtmodum praeſcribantur opiata; aliter enim haec materiam illam in pulmonibus magis, ac magis incraſſant, & ejus motu impedito, ibidem diutius ſtagnans majorem ſpirandi difficultatem producit. Tr. de Mat. Med. cap. 15. n. 95.

65 Nec ſolum cruribus, ſed ipſi thoracis regioni, quorum-

rumdam Graecorum more , applicare veſicantia oportet in aſthmate , & ortophnoea , nam in his morbis applicata in parte poſteriori thoracis inter ſcapulas , naturam quàm optime juvare ſolent. Tr. de Mat. Med. cap. 15. n. 96.

66 In apoplexia ſi veſicantibus adhibitis , veſiculae non excitentur , malum , ibid. n. 97.

67 Falſiſsimum eſt quorumdam Neotericorum placitum aſſerentium , ſolam plenitudinem eſſe indicans venae ſectionis. Tr. de Mat. Med. cap. 16. n. 98.

68 Pro regula firmiſsima praeſcribimus , ut Tyrones leges revulſionis , & derivationis , non ex libris , neque ex Auctoribus inter ſe diſcrepantibus , ſed ex ipſa natura , vias monſtrante , deducant. Tr. de Mat. Med. cap. 16. n. 98.

69 Falſum eſt , in morbis acutis capitis ſecandam eſſe venam ex pede , quia nimius eſt impetus ſanguinis ad caput, qui ejus converſione ad pedes ſiſtitur ; quia haec omnia hypoteſi nituntur , & experientia non confirmantur , ibid.

70 Falſum etiam eſt , quod dicitur , derivationem non eſſe inſtituendam , niſi praecedente prius revulſione , nam haec regula obſervationibus non innititur , ibid.

71 In omni morbo acuto à fluxione inflammatoria pendente , derivationem potius , quam revulſionem convenire, cum Hipp. ſuadeo , ibid.

72 Tamquam certum teneo in praxi praeceptum , in pueris , & ſenibus rarò ſanguinem eſſe mittendum , ibid. n. 100.

73 Cum vero , in mittendo ſanguine , vires ſemper contemplari oporteat , ſcire nunc expedit , plurimum eſſe diſcriminis inter valens corpus , & obeſum , inter tenue , & infirmum , ibid.

74 Si ſanguis vacuatur , cum neque copia , neque humoris ſuperat caliditas : refrigeratio , cruditas , maluſque habitus ſuccedit. Tr. de Mat. Med. cap. 16. n. 101.

75 In fluxionibus , & deſtilationibus humoris ſeroſi à capite , item in nimio ſanguinis fluxu , & in morbis à bile, ſeu pituita pendentibus , non eſt ſanguis mittendus , ibid. n. 102.

76 Si duae ſimul concurrant indicationes, altera ſcilicèt, purgandi humores crudos, altera vero mittendi ſanguinem cum urgentia, ſatius eſt primum, ſanguinem detrahere, & poſtmodum cruditati ſuccurrere, ibid. n. 104.

77 In cholera morbo, in cardialgia, & affectionibus oris ventriculi, periculoſum eſt ſanguinem mittere, nam in his caſibus virtus facillimè labitur, ibid.

78 Maximè periculoſum eſt, multum ſanguinem una vice extrahere, cum poſsit aeger ſyncope confectus perire. Tr. de Mat. Med. cap. 16. n. 106.

79 Verum non eſt, ſolam venae ſectionem, & purgationem eſſe remedia magna, ibid. n. 108.

80 Oportet Tyrones admonere, phrenitidem morbum ſaeviſsimum, & communiſsimum, ſub larva febris meſſentericae frequenter ingruere, & Medicos licèt expertos ſaepiſsime fallere. Tr. de Febrib. cap. 3. n. 16.

81 Febrium intermittentium curatio non eſt incipienda à venae ſectione, quia celeberrimorum practicorum obſervatione notum eſt, poſt venae ſectionem, tertianam ſimplicem fieri duplicem, & febrem prius intermittentem verti in continuam, niſi ſpeciales circunſtantiae aegri eam neceſſario excercendam poſtulaverint. Tr. de Febr. cap. 4. n. 23.

82 In tertianae febris curatione, nimis inſiſtendum non eſt purgantibus, potius enim fugatur per alterantia, quam purgantia, ibid. n. 24.

83 Duplex eſt methodus chinam chinae praeſcribendi, in curatione, ſcilicèt, libera, vel coacta, ibid. n. 25.

84 Tertiana intermittens duobus modis fieri ſolet maligna, quoad affectus in praxi obſervabiles, ibid. n. 26.

85 In febribus intermittentibus malignis citò, nullaque ſpectata mora, per modum curationis coactae, ad corticem chinae confugiendum, atque magnis, & repetitis doſibus ipſum praeſcribere oportet, donec ſedata ſit febris, & ulterius non repetat. Tr. de Febr. cap. 4. n. 26.

86 Minime inſiſtant Medici curantes quartanam, in uſu purgantium, nec pillularum, nec diureticorum, nam ea methodo nihil aliud efficient, quam febrem ex ſe benignam,

&

& ſalutarem, reddere laborioſam, & malignam, ibid. n. 29.

87 Minimè medicamento purganti, dicto *Minorativa*, uti licet in principiis febrium ardentium, ibid. cap. 5. n. 33.

88 Num diarrhaea, quae cruda dicitur, à debilitate, num à nimio calore procedat, videndum. Tr. de Febr. cap. 5. n. 38.

89 Coagulatio, & diſſolutio humorum non ſunt cauſa, ſed ſimptomata febris malignae. Tr. de Febr. cap. 7. n. 44.

90 Medicamenta alexipharmaca ad febres malignas, incertae ſunt virtutis, & operationis, ibid. n. 51.

91 Oportet animadvertere ſanguinem, caeteroſque noſtri corporis humores diverſis modis inflammari, adeò ut licèt in qualibet inflammatione habeant dotes inflammationum proprias, ut ſunt calor, acrimonia, criſpatura ſolidorum, & alia hujuſmodi, tamen ſpeciales adſunt caracteres in ipſarum qualibet, in alia quantumvis ſimili, non reperiendi, cap. 9. n. 54.

92 Variolae ſunt vera inflammatio cutis, ſeu varius cumulus multarum inflammationum in cute, ſed haec inflammatio ſpecialis eſt naturae, & proprios habet caracteres, nullibi, praeterquam in ipſis, inveniendos, ibid.

93 Secunda febris variolarum maximè pernicioſa eſt, in eaque purgationem inſtituere velle, temerarium eſt, ibid. n. 59.

94 Omnis febris hectica ab alio morbo neceſſariò dependet. Tr. de Febr. cap. 10. n. 60.

95 Auctio caloris à cibo non eſt ſignum perpetuum, & inſeparabile febris hecticae, n. 61.

FINIS.

F 1 2 1 2